

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [1] - -


Leibn. Marg. 148

L.-Marginalien
S. 53. 55. 56

Striche S. 227


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [4] - -

MEMORIAE
PHILOSOPHORVM, ORATORVM, POETARVM, HISTORICORVM ET PHILOLOGORVM,
NOSTRAE AETATIS
CLARISSIMORVM,
RENOVATAE
CVRA
FRIDERICI CASP. HAGEN.



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
APVD
NATHANAELEM LVMSCHE
RVM.

BARVTHI,
PRELO IOAN. LOBERI, AVLAE ET CANCELLARIAE
TYPOGRAPHI. ANNO IↃ CC X.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [5] - -


BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [6] - -

VIRO
PERQVAM ILLVSTRI ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GODOFREDO
GVILIELMO
A
LEIBNVZ,
SERENISSIMO AC POTENTISS. PRINCIP. ELECT. HANOVERAN. A CONSILIIS INTIMIS
NEC NON
REGIAE SOCIETATIS PRVSSICAE
SCIENTIARVM
DIRECTORI AC PRAESIDI
LONGE GRAVISSIMO
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [7] - -



PRINCIPI ERVDITORVM
HVIVS SAECVLI
HAS
PHILOSOPHORVM MEMORIAS
SVBMISSO CVLTV SACRAS
ESSE CVPIT
DEVMQVE IMMORTALEM
VENERATVR
VT SPLENDIDISSIMVM HOC
SIDVS
ORBI LITERATO DIVTISSIME
CONSERVARE
VELIT
LEIBNVZIANI NO-
MINIS
CVLTOR DEVOTVS
FRIDERICVS CASPAR
HAGEN PP.
PRAE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [8] - -

PRAEFATIO.

SI quid eſt, quod orbis eruditus noſtro hoc ſaeculo ſingulari cura atque induſtria prae ceteris laborat; hoc profecto eſt, ut uirorum de Literis optime meritorum memoriam ab interitu uindicet, eandemque renouato quaſi ſplendore, ſerae commendet poſteritati. Siue enim oculos in Italiam antiquam Literarum ſedem conuertamus, ſiue Angliam felicisſimam ingeniorum parentem intueamur, ſiue denique Germaniam, patiram,

quae omnes omnium complectitur caritates contemplemur, tot uiros eruditionis fama clarissimos in opere hoc desudantes deprehendemus, quot pagina haec uix capieet, quotue ego satis dignis, quae promerentur elogiis, uix persequi ualeam. Tacitus hinc praetermitto celeberrima eorum nomina, quae uiri eruditissimi pridem tradiderunt, quaeque in ore omnium uersantur, atq; id tantum addo, permagnam eos hac in parte promereri laudem, non tantum quod aliis tantorum Virorum exemplis ad par uirtutis studium calcar addunt, atque auctores sunt, ut quemadmodum Themistocles statuis Miltiadi positis, ita hi laudabilibus maiorum exemplis e somno excitentur; sed etiam historiae literariae permagnum hoc ipso afferunt emolumentum. Equi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [10] - -

Equidem non ignoro, esse quoddam genus hominum, quod alto eos despicit supercilio, qui in conscribendis eruditorum uitiis industriam suam exercent, laboremque hunc minime approbandum censent; nec me fugit, plurimos Gallorum Germanos hoc nomine contemtui habere, gentemque laboriosam appellare, quae in prodendis tantum, eruditorum uitis occupata sit: praetereaque uix quidquam solidi in medium proferre possit: at harum conuitiis eo minus moueor, quo grauius ad iniquas horum censuras incomparabile lumen Germaniae DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, respondit, quoque solidius peruersum Rolandi Maresii iudicium, Maxime reuerendus M. CHRISTIANVS

FEVSTELIVS non ita pridem confutauit.

Cum uero permulti Germanorum in consignandis Eruditorum uitis singularem industriam adhibuerunt, tum prae ceteris exinde singularem reportauit laudem Clarissimus Vir, M. HENNINGVS VVITTE, Eloquentiae & Historiarum in Athenaeo Rigensi Professor quondam Publicus, qui cum Virorum celeberrimorum eorundemque de Ecclesia, Republica, Literisque optime meritorum uitas in peregrinatione, quam iuuenis susceperat, diligentissime collegisset, non abs re futurum existimauit, si elogia, quibus tanti Viri in concionibus sacris, orationibus solemnibus, aut Programmatibus post fata fuerunt ornati, in fasciculos colligeret,

geret, eademque cum orbe erudito communicaret. Quare Theologorum, Iurisconsultorum, Medicorum, ac Philosophorum Memorias, easdemque in Tomos Decadesque diuisas, renouauit atque in lucem publicam edidit, laboremque hunc eo usque strenue continuauit, donec successu temporis ad scribendum *Diarium Biographicum* animum applicaret.

Sic itaque series Memoriarum fuit interrupta, nec per longum temporis spatium quisquam extitit, qui telam abruptam redintegraret, donec tandem Princeps Theologorum Saxonicorum, Vir Summe-Reuerendus ac Magnificus, HENRICVS PIPPINGIVS, S. Theologiae D. ac Sacrorum in Aula Regia Electorali Saxonica Antistes,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [13] - -

ſtes, tunc temporis ad D. Thomae Lipſ. Theologus de uniuerſa CHRISTI Eccleſia ſingulariter meritus, de continuandis Theologorum memoriis conſilium caperet, atque Anno MDCCV. *Sacrum Decadum Septenarium, Memoriam Theologorum noſtrae aetatis clariſſimorum renouatam exhibentem, una cum Septenario eorum, qui ut ut Theologi Profeſſione haud fuerint, ſcripta tamen Theologica ediderunt, aut tranſtulerunt, aut inchoata reliquerunt, publici iuris faceret.* Biennio poſt ſummi huius Theologi cura Septenarium ſacrum ſecuta eſt *Trias Decadum* eidem *iungenda, ut ſuam ſortiatur integritatem Theologorum recentiſſimorum Centuria,* (quod uel ex *Semicenturia Biographica Selecta,* quam Theologo celeberrimo, D. GEORGIO HENRICO GOEZIO, publice obtulit, atque Elogiis Theo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [14] - -

Theologorum impoſterum continuandis inſerendam ceſſit, luculenter patet) niſi curarum grauitas atque occupationum copia, quae ſummam muneris, cui praeeſt, dignitatem comitantur, ipſum a propoſito reuocarent. Nihilo tamen minus opus hoc ſtrenue continuabitur cura Summe-reuerendi Superintendentis Lubecenſis D. GOEZII, qui illud iam Anno MDCCVIII. feliciter fuit auſpicatus. Nam ut Theologi huius merita cum in uniuerſam CHRISTI Eccleſiam, tum Rempubl. literariam prorſus ſingularia extant: Sic quoque laborauit, ne hac ex parte hiſtoriae quidquam decedat, atque ideo inſtituto poſt meſſem ſpicilegio, eos perquiſiuit, quorum nomina VVITTIVS ac PIPPINGIVS praetermiſerant, atque Elogia

logia haec in fasciculum collecta, Anno MDCCVIII. & IX. in lucem publicam emisit.

Atque hac ratione Theologorum memoria ab interitu fuit uindicata, de Iure consultorum uero, Medicorum ac Philosophorum elogiis colligendis atque edendis, nemo quod sciam, hactenus cogitauit. Quare ut tantorum Virorum de literis optime meritorum memoria ad posteros transmittatur, temperare mihi non potui, quin partes has susciperem, ac quae huc usque in scriniis asseruabantur eruditorum uitae, adiecto quoad eius fieri potuit, scriptorum Syllabo, in publicum producerem. Quod propositum tam feliciter cesſit, ut quam primum cum amicis quibusdam hoc consilium communicarem, ipsi conatus

tus meos beneuole adiuuari non dubitarent. Prae ceteris hoc in patria effecit Fautor noſter maxime colendus, Vir Maxime reuerendus M. GVOLFFGANGVS DAVIDES SCHOEPFIVS, Conſil. Conſiſtorial. Eccleſiaſt. Vener. Cap. Senior & Theologiae moralis in illuſtri Collegio Chriſtian-Erneſtino quod hic loci floret, Profeſſor Publ. optime meritus, cui me permultum debere profiteor, quod ex inſtructiſſima quam poſſidet Bibliotheca, permulta ſubſidia, pro ſingulari in me beneuolentia ſubminiſtrarit. Nec extra Patriae fines defuerunt, qui inſtituto huic fauerent, atque a me rogati, quicquid ipſis ad manus erat, lubenti animo transmitterent. Quo nomine praecipue me obſtrictum eſſe intelligo Viro Maxime reuerendo, M. CHRISTIANO FEVSTELIO, Eccleſiae quae Chriſto VVeidae in Variſcia colligitur, Ephoro meritiſſimo, cui publicas ago gratias, quod ex ditiſſima penu ſua laboranti ſuccurrere uoluerit. Ingra-

tus

tus quoque essem, si silentio praetermitterem merita Experientissimi D. LOCHNERI, Medici apud Norimbergenses exquisitissimi, qui non tantum biga uitarum tractatum hunc auxit, sed etiam in futurum plura subsidia est pollicitus. Atque ut pietatem nostram erga cunctos qui ad institutum hoc quidquam contulerunt, publice profitemur: ita omnes ac singulos Literarum Existimatores quanta possumus obseruantia rogamus, dent tribuantque id petitioni nostrae, ac quas in scriniis asseruant, Iurisconsultorum, Medicorum ac Philosophorum uitas, orbi erudito non inuideant, sed ad nos transmittere non dedignentur, quo opus, quod molimur, feliciter succedat, totque uirorum meritis atque eruditione clarissimorum memoria ad posteros propagetur.

A quo proposito CL. M. RVDIGERI institutum me nequaquam reuocabit qui sub personato ADOLPHI CLARMVNDI nomine, Eruditorum, atque adeo cum Theologorum, tum Iurisconsultorum, Medicorum ac Philosophorum uitas in publicum produxit. Quemadmodum

dum enim eos saltem recensere constituit, qui de literis elegantioribus praeclare fuerunt meriti: ita uterque nostrum alia incedit uia, dum ille propriis, eisdemque uernaculis utitur uerbis, suumque de eorum scriptis fert iudicium, a quo ego prorsus abstineo, eaque usurpo plerumque uerba, quae facundissimi Oratores, quondam adhibuerunt. Id tantum in uotis habuerem, ut eadem cum CL. M. RVDIGERO, amico ueteri Academico, frui licuisset felicitate, ut in urbe librorum copia abundante, tabernisque librariis instructa, uiuere potuissem, quo cuiusuis scripti editiones uariae annotari, atque annus quo liber quilibet prodiit addi potuisset. Cum uero locus in quo uersor, ac Bibliothecarum penuria hoc mihi denegauit, id LECTOR BENEVOLE, non mihi, sed inopiae tribuas, atque eo quaeso sis contentus, quod scripta quanta fieri potuit industria conquisiuerim, nec temere aut consilio ullum neglexerim. Sphalmata quoque quorum permulta irrepsisse scio, non mihi, cui in officina typographica non semper praesentem esse licuit, sed eorum incuriae imputabis, qui paginas has for-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [19] - -

formis expreſſerunt, ea uero quae obuia ſunt emendare non dedignaberis.

Atque ſic LECTOR BENEVOLE, has PHILOSOPHORVM MEMORIAS TIBI trado, quanta poſſum humanitate rogans, uelis conatui meo fauere, mortuis parcere, illorum elogia aequi bonique conſulere, atque ea quae a me praetermiſſa ſunt, pro beneuolentia TVA ſupplere. Id ſi fiet, efficiam, ut non tantum Philoſophorum Centuria compleatur, ſed etiam Memoriae Iuris Conſultorum ac Medicorum renouato ſplendore propediem oculis Tuis exponantur.

Vale. Dabam Baruthi Francorum
VI. Eid. Ianuar. A. R. G.
∞ Iↄ ccX.

ME-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [20] - -

MEMORIAE

PHILOSOPHORVM ORATORVM POETARVM HISTORICORVM ET PHILOLOGORVM NOSTRAE AETATIS CLARISSIMORVM

DECAS PRIMA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [21] - -

SERIES
PHILOSOPHORVM, ORATORVM, POETARVM, ETC.
PRIMAE DECADIS.

Obiit Anno

1676. Io. Khvnivs, Mathem. Prof. Lipſienſ. Maioris Princ. Coll. Collegiatus.

1676. Iac. Schallervs, S. Theol. D. Philoſ. Pract. Prof. Argentinenſis, Capit. Thomani Praepoſitus.

1676. Io. Ittigivs, Philoſ. & Medic. D. Philoſophiae Naturalis Prof. Lipſienſis, Facul. Phil. & Coll. Minoris Principum Senior & Acad. Decemuir.

1677. Christianvs Trentschivs, Logic. & Metaph. Prof. Vitembergenſis.

1678. Franciscvs Ivnivs, Heidelbergenſis, Philologus.

1679. Christianvs Frid. Franckenstein, Lat. Ling. & Hiſtor. in Acad. Lipſi. Prof. ac Facul. Philoſ. Senior.

1679. Thomas Hobbesivs, Anglus, Philoſophus Malmesburienſis.

1679. Io. Alphonsvs Borellvs, Neapolitanus, Philoſoph. & Mathem. Prof. Florentinus ac Piſanus.

1680. Christophorvs Schradervs, Prof. Eloquentiae Helmſtadienſis, Ducatus Guelferbutani Praepoſitus, & Scholarum Inſpector Generalis.

1681. Ioannes Pavllvs Felvvinger, Logic. ac Polit. Prof. Altdorfinus.

PRO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [22] - -

I.

PROGRAMMA,

Quo

RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS,

FVNVS

IOANNIS KHVNII,

Mathematum Professoris celeberrimi, Maioris Principum Collegii Collegiati, & Praepositi, nec non Facultatis Philosophicae Assessoris gravissimi, Academicis civibus indixit,

Idque

Ipsa Seruatoris Nostri emortuali die, hora III. efferendum solenniter ac deducendum.

CVm neminem non mortalium coeli siderumque longe pulcherrimorum afficiat intuitus, tum Mathematici cum primis incredibile quantum oblectamenti capiunt, quando solicitius atque accuratius, adhibitis telescopiis, uniuersas coeli cameras perlustrant, cumque Simeone Mario ac Galilaeo Galilaei, Satellites Iouis, cum Schickardo Saturnum tricorporeum, cum M. Reita circulatores Martis, cum Caramuele a Lobkovvitz & Ioan. Heuelio lunares maculas, cum Hugenio lunulam Saturninam, nouaque alia cum Astrologis aliis phaenomena contemplantur. Ita enim conspicere

illis atque admirari licet, quae plebeiorum oculis haud ſunt expoſita, nec a quoquam ueterum coeleſtis domicilii ſcrutatorum obſeruata. Sed quantilla haec, obſecro, uoluptas, quantilla haec oblectatio eſt, ſi cum gaudio, quod ex coeli Chriſtani aſpectu redit, comparetur? Chriſtianum alias id coelum Ioanni Bauero & Iulio Shillerio dicitur, in quo uulgatis Planetarum nominibus, propria Adami, Moſis, aliorumque Patriarcharum ſubſtituta, duodecim item ſignis Apoſtolorum uocabula indita, ceterisque Aſterismis ſanctorum aliorum, rerumque religioſarum nuncupationes. At Chriſtianum nobis illud coelum eſt, quod contemplaturum ſeſe Pſalmographus coeleſtisſimus innuuit: Videbo, inquiens, coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quae tu fundaſti. Intelligit audem per coelos hic loci, ſi Pomeranum & Selneccerum audias, Regnum gratiae, in quo ſancti quique ceu ſidera exſplendeſcunt; ſi Lutherum, Regnum Gloriae; quanquam & hoc Lutherus addit in concione ſuper Pſalm VIII. habita, eaque ex Georgii Rorarii aliorumque manuſcriptis ab A. Poachio collecta, nec ulli Tomorum Ienenſium, Vitembergenſium, ac Islebienſium inſerta: „Vnum eſt Regnum, Regnum fidei & Regnum „futurae Gloriae, ita tamen diſtinctum, ut, „quod per uerbum in Regno fidei offertur, in „altero reapſe exhibeatur. Et mox: unum „eſt Regnum, ſed diſtincta cognitio. Iam au„dimus in uerbo, illic habebimus incontempla-

platione ipsa; iam credimus & speramus cum“ Christianis omnibus in terra, illic possidebi-“ mus cum omnibus Angelis & electis in coelo!“ Et uero non iucundior tantum huius coeli est intuitus, sed fructuosior quoque & magis salutaris. Quantumuis enim stellati illius laquearis obtutus ad Architecti cognitionem nos ueluti manuducat: ad beatitudinem tamen aeternam nihil quicquam facit, quippe nec fidem saluificam in nobis generans, nec uiam nobis regiam ad beatificam Dei uisionem ostendens. In coelo autem Christiano, quod in literis sacris a digito Dei h. e. Spiritu S. uelut expansum est, non Doctores tantum & Sancti ceu Luna & Stellae emicant, sed & Christus ipse, tanquam solem iustitiae unicum credentibus sese omnibus conspiciendum praebet. Beatos itaque, qui coelum hoc intuentur cum maximè, stellisque in eo effulgentibus conformari gestiunt! Beatiores, qui stellarum splendorem in Ecclesia militante iam referunt! Beatissimos denique, qui in triumphante ceu lunae abs radiosissimo Iustitiae Sole perpetuo illustrantur! Vtriusque coeli, naturalis uidelicet ac supernaturalis, contemplationem coniungebat, dum in uiuis erat, Vir Excellentissimus, clarissimusque M. IOANNES KHVNIVS, Mathematum Professor celeberrimus, Maioris Principum Collegii Collegiatus, & hactenus Praepositus, nec non Facultatis Philosophicae Assessor longe grauissimus. Nam uti in Mathe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [25] - 5

maticis, Mechanicisque ſuperiorem uix habebat quenquam: ita oculo armato pulcherrimum illum ſtellisque uariegatum coeli fornicem quam ſaepisſime intuebatur, ſapientiamque exinde ac potentiam ſupremi Conditoris admirabundus agnoſcebat, edoctusq;, coeli aliorumque DEI operum conſiderationem non tam afferre ſalutem homini, quam ad inueſtigandam illam eundem ducere, coelum myſticum, in quo ſalus noſtra uelut radiis ſolaribus deſcripta extat, longe fixius contemplabatur. Iam uero, depoſitis emaciati corporis exuuiis, & Electos Aſtrorum inſtar ſplendicantes & ſolem ipſum Iuſtitiae illuſtrisſimum uidet proprius; quin & ipſe ſplendore coelico circumfuſus, ſtellarum beatisſimarum exauget numerum. Eclipſin interea corpus patitur, exanimatum, quippe & hoc ipſo die, quo Chriſtus dormitorio ſuo illatus eſt, ſub terram mittendum, reſuſcitandum tamen aliquando, ſideribusque non minus, quam anima ipſa, adſcribendum. De cetero cum mos receptisſimus, idemque laudatisſimus iubeat, ut uitam Academicorum beate defunctorum memoriae perennanti conſecremus, etiam KHVNII amplisſimi curſum hucusque ductum ut enarremus, noſtrarum partium eſſe intelligimus. Faciemus autem id ſtrictim, eoque ſermonis genere, quod breuitas temporis & feſtinandi neceſsitas dictitat, non quale uirtutes Khunianae ſibi iure quodam expoſcunt. Natales

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [26] - 6

les debet Schleusingae, nobilissimae Principatus Hennebergici, Gymnasiique laude florentissimae urbi, in lucem hanc editus An. aer. Chr. M.DC XIX. d. XIIX. Aprilis, Patremque agnoscens VALENTINVM KHVNIVM, Typographum literarum Graecarum & Hebraicarum callentissimum, idque propter GVOLFGANGO SEBERO, uenerabili Ecclesiae Schleusingensis Ephoro, longe carissimum, qui & Aeditui partes illi beneuole delegauit; matremque probi ac casti animi, DOROTHEAM, ex perquam Reuer. MICHAELE KOENIGIO, Pastore & Decano Themarensi prognatam. Ad fontem lustricum post natiuitatem mox deportatus, Sponsorem unicum, pro more loci illius, habuit IOANNEM ITTIGIVM, Praefectum commendaturae Iohanniticae, quae Schleusingae est, prudentissimum. Praeceptores autem in Gymnasio Patrio, quod ab An. M. DC. XXIII. usque ad XXXIX. frequentauit, Viros longe doctissimos Dexterrimosque, M. SORGERVM & M. REYHERVM. Ingenium namque haud triuiale in primula aetate eluceſcebat, ut causae nihil haberent parentes, quo minus praeclara quaeque de filio ad ἀκμήν peruenturo sibi pollicerentur. In palaestra certe illa, ceu stellula inter sympalaestritas emicabat. ut praeter Praeceptores iam dictos etiam GVOLFG. SEBERVM, D. SAMVELEM ZEHNERVM & D. HIERONYMVM PRAETORIVM in amorem sui pertraheret.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [27] - 7

heret. Prae ceteris ſuaſor ipſi ZEHNERVS erat, ut in Mathematicis ac Mechanicis, quibus capeſſendis tractandisque par uidebatur, eximii quid tentaret; quod conſilium & oraculi inſtar habuit, & ſuo non caruiſſe fructu eſt expertus. Per ſedecim admodum annos his ducibus uſus, poſt habitam ſub moderamine D. PRAETORII, de *perſona Chriſti* diſputationem, gratisſimumque Vale Praeceptoribus acclamatum, An. XXXIX. Ienam ſalutauit, inque ritu, quem uocant, Depoſitionis, abs celeberrimo Philologo IOAN. MICH. DILLHERRO examinatus, SALOMONI GLASSIO, ſincerisſimo Theologiae Profeſſori, qui faſces id temporis Academiae Salanae geſtabat, ſacramentum dixit, eruditiones illic eruditionibus cumulaturus. Sed Patrem lentisſimo quodam laborare morbo edoctus, ad patrios lares reuokauit, uicariumque illic Aedituum ad annum usque XLI. egit, quin & poſt obitum Parentis id ipſum munus, ut fratribus minoribus, interque illos IOAN. MICHAELI, iam Phil. & Med. Doctori experientisſimo, felicisſimoque apud Freibergenſes Phyſico, conſuleretur, de conſilio D. PRAETORII aliquantisper obiit. Ad maiora autem atque altiora natus erat KHVNIVS. Lipſiam ergo meditatus, iam reſculas ſuas huc miſerat, cum a Candidisſimo interim Praeceptore REYHERO Gotham una duceretur, Principique ipſi Celſisſimo ac piisſimo ERNESTO, *τῷ μακαρίτῃ* commendaretur.

retur. Sed tametsi & gratiam ipsi offerret Princeps, & Ienam eligendam prae Academiis aliis suaderet, à proposito tamen suo ne latum quidem unguem decesſit. Petiit quippe hanc Lipsiam An. XLI. sepositam ueluti studiorum telam redorsurus; quanquam initia uitae Academicae non auspicata adeo ac prospera se dabant. Per trimestre enim conditionis expers, quae infelicitas temporum illorum erat, coactus hic degere, fortunam sat nouercantem experiebatur. At enim ceu Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ipsi apparebat susceptoris ac συνεπιμελητὴς sui filius, Vir Amplissimus, Excellentissimus atque Experientissimus D. IOANNES ITTIGIVS, Physices Prof. in hac Alma Publ. Minoris Princip. Collegii Collegiatus, Academiae Decem-Vir & Facult. Philos. Senior optime meritus. Hic enim Sympatriotam hunc suum IOANNI STRAVCHIO, celeberrimo tum Historiarum apud nos Professori, nunc temporis ICto apud Giessenses incomparabili, Landgrauioque Hasso-Darmstadino a secretis Consiliis & Cancellis, commendauit, a quo An. XLII. & promte susceptus, & ingentibus postmodum beneficiis fuit cumulatus. Neque enim aliis post Deum salutem Academicam debet KHVNIVS, quam STRAVCHIO & ITTIGIO, quorum & opitulatu utramque Philosophiae lauream, primam quidem An. XLIII. alteram An. XLV. decerpere ipsi licuit. Factum interibi, ut HEINRICI BALTHASARIS,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [29] - 9

RIS, nunc I. V. D. & Practici famigerabilis, nec non Fratr. ZABELIORVM Hodogeta priuatus constitueretur. Quas partes dum per septennium ea, qua par, dexteritate administrauit, Disputationibus publicis sibi uiam ad Nationalium, quae uocant, commodorum perceptionem non infeliciter strauit. Viuis enim exemto An. XLIIX. L. ANDREA CORVINO, P.P. Collegio Principum Maiori adscriptus, inque eo Praepositi ter, Praepositi Magni officio, semel est perfunctus. Dein An. XLIX. in Facultatem Philosophicam cooptatus, Decani quater, Pro-Cancellarii Dignitatem bis gesit; ac denique An. LIX. L. PHILIPPO MVLLERO, Mathematico obstupescendo, ex his terris ad sidera euocato, ob inusitatam rerum Mathematicarum & Mechanicarum scientiam, Eidem abs Serenissimo Electore quam clementissime fuit surrogatus. Quod munus rite ac cum fructu studiosae Iuuentutis ut obiret, & domi & publice diuitias Mathematicas exponebat. Sed ante tempus iam bene longum cum iniquiori ualetudine cepit conflictari, ut subducere se publico, uicariasque subinde operas Excellentiss. FRANCKENSTEINII, Collegae coniunctissimi solicitare necesse habuerit. Commodum autem, Deo ipso sic disponente, An. LX. consociauit sibi Virginem castissimam piissimamque REGINAM ELISABETHAM, FRANCISCI SIGISMVNDI TEVBELII integerrimi

rimi Lipſienſium Mercatoris filiam. Hanc enim infoecundam quidem conſortem thalami, ſed fidam admodum ac patientem in calamitatibus, curis, morbisque omnibus adiutricem ad extrema usque habuit. Et morbus quidem quod attinet, iam pluſculis abhinc annis Orexin proſterni, uiresque in dies decreſcere perſenſit KHVNIVS amplisſimus. Accedebat circa nundinas ſuperioris anni uernas tusſis uehemens, & calor hecticus, ut in lectum coniicere ſe, perque aliquot hebdomades adhaerere illi cogeretur. Cedebat equidem calor tandem medicamentis diligenter adhibitis, quin & appetitus poſt liminio quaſi redire uidebatur. Sed fiebat mox morborum iam dictorum recidiuatus, quem & paucis abhinc ſeptimanis ſputi cruenti eiectio immodica & ἀγρυπνία ſequebatur. KHVNIVS autem quo propius abeſſe ab extremis ſe intelligebat, hoc acutiori fidei teleſcopio ſolem iuſtitiae fulgentisſimum atque gratioſisſimum intuebatur, a quo & ad coelum Beatorum ipſum, placidisſimae mortis ueluti vehiculo d.XX. Martii fuit pertractus. Nunc corpus exanime efferendum cum ſiet, Vos quaeſo, quotquot hanc almam ceu Matrem ueneramini, hora III. frequentisſimi adeſte, funerique adeo Mathematici celeberrimi, poſt parentationem Seruatori ipſi praeſtitam, honores, quos debetis, ultimos haud cunctabundi perſoluite, P.P. ipſa emortuali

tuali Christi die, in Conciliis Carrina dicta, An. aer. Chr. M. DC. LXXVI.

SCRIPTA:

Disputationes Philosophicae uarii argumenti.

II.

VITA

PHILOSOPHI CELEBERRIMI,

IACOBI SCHALLERI,

S.S. Theologiae Doctoris, totius Academiae Argentoratensis Senioris Grauissimi, Philosophiae Practicae Professoris excellentissimi ac Praepositi Capituli Thomani spectatissimi, VIII. Calend. Iulii A. R. G. ∞. Io c LXX, aetatis suae LXXIII. pie defuncti, ex concione funebri renouata.

NAscendi auspicia habuit IACOBVS SCHALLERVS, S. Theologiae Doct. Academiae Argentinensis Senior grauissimus, Philosophiae Practicae Professor Publicus celeberrimus, ac Capituli Thomani Praepositus longe meritissimus, Heilgenstenii, pago Reip. Argentinensi subiecto, V. Calendarum Martii Anno ∞. Io c IV. Patrem coluit M. GVOLFGANGVM SCHALLERVM, Pastorem loci tunc temporis, deinde uero Ecclesiae Cathedralis apud Argentoratenses fidelissimum; Matrem uero VRSVLAM, natalibus STELNERIAM.

Quemad-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [32] - 12

Quemadmodum uero uniuscuiusque Christianorum praecipua debet esse cura, ut animae salutem tueatur: ita pii eius parentes statim cogitarunt, quemadmodum filium prognatum, ritu Christiano initiarent. Idcirco sacro fonte ablutus, cum DEO sanctam salutaremque necessitudinem contraxit, atque in haereditatis aeternae partem uenit. Vtrique parentes indolem per se ad literarum studia incitatam non retardarunt ac remorati sunt, sed uiris doctis erudiendam tradiderunt, qui fide ac studio ipsi non defuerunt, liberaleque pueri ingenium magis magisque expoliuerunt. Quo factum est, ut An. ∞.Io c XI. Praeceptoribus florentissimi apud Argentoratenses Gymnasii committeretur, in quo tam industrius fuit & nauus, ut nullam negligentiam traheret, pectusque instrueret uirtutibus, ut nullis deliciis irritamentisque a proposito abstrahi flectique ad prauum posset. Grauissimum id perhibet testimonium, quod cursum classicum summa cum laude atque ex uoto Praeceptorum absoluerit, nec non in omnibus fere classibus, praemia, quibus industria uictorum ornatur, consecutus sit. His laudis accessionibus auctus, maiora appetiit, ac concordibus omnium suffragiis ad subsellia Academica se contulit, ubi initia altioris literaturae sic cuspicato cepta sunt, ut iam nemo dubitaret, quin metam quam iam pridem sibi proposuerat, felicissime sit consecuturus. Dici non potest, quanta industria, quoue ardore mentis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [33] - 13

tis ſapientiae ſtudia ſit amplexus, qua alacritate in Patrum conſpectu certamina ſapientiae inierit, omnesque eo neruos intenderit, ut honeſta laborum praemia impetraret. Tandem adeptus eſt, quae optauit, ſiquidem ab amplisſimo Sapientum Ordine non prima tantum laurea, quam Barcaelaureatus gradum appellare conſueuerunt, ornabatur, ſed ſucceſſu temporis, ſummi in Philoſophia honores ipſi tribuebantur, atque ſuffragiis & auctoritate aequisſimorum diligentiae eruditionisque cenſorum, primus inter commilitones locus ei tuendus tenendusque decernebatur. Sic nouus ipſi apertus eſt campus induſtriae exercendae, dum uaria eruditionis ſuae edidit ſpecimina academica, ac non ſolum Hebraico, Graeco ac Latino ſermone ornate dixit, & compoſiti, diſerti, moratique oratoris officium expleuit, ſed etiam in arenam deſcendit, ac Praeſidio NICOLAI AGERII Medicinae Doctoris, & tunc temporis Philoſophiae Naturalis Profeſſoris Publici celeberrimi firmatus, ſummo cum applauſu diſſeruit. Multi, ſiquosdam in Philoſophiae ſtudio fecerunt progreſſus, literas, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, alto ſupercilio deſpiciunt, ac dum uanas quasdam crepere ſciunt diſtinctiones, ſe ipſius eruditionis faſtigium conſecutos eſſe credunt; At longe alia mens erat B. IACOBO SCHALLERO, qui ſummis ſapientiae honoribus ornatus, praeter hiſto-

hiſtoriarum monimenta per integrum annum optimos euoluit auctores, atque hoc ipſo in elegantiori literatura ſic profecit, ut iam iſtum alii in pulcherrimo hoc ſtudiorum genere ductorem eligerent, atque ex ore eius aſsidue pendere optarent. Atque ſic tandem ſacrarum literarum ſtudium indefeſſo labore aggreſſus eſt, Ductoribusque Theologis longe celeberrimis, tantam eius ſibi comparauit notitiam, ut Magiſtri dignum haberent, qui in conſpectum publicum prodiret, ac de argumentis grauiſſimis publice diſſereret. Contigit id quater, ſiquidem bis Praeſide Theologo de Eccleſia Chriſti ſingulariter merito Doctore THOMA VVEGELINO, Conuentus Eccleſiaſtici Praeſide, ac toties moderante Doct. FROEREISENIO, Profeſſ. Theologo in Academia Argentoratenſi famigeratiſſimo, quaeſtiones uexatiſſimas euoluit. Maxime patet eius in duſtria ex poſtrema diſſertatione Theologicâ ſub laudati Froereiſenii Praeſidio defenſâ, quam de *Creatione* proprio marte ipſe conſcripſit. Quo uero maiorem prudentiam uſu & peregrinatione ſibi compararet, ſuffragante Optimo Parente, Anno ∞. IↃCXXVI. Alſatiam, Brisgouiam & Suntgouiam per agrauit, ac poſtea in Heluetiam iter ſuſcepit, Tiguriumque peruenit, non tantum ut ſitus terrarum moresque cognoſceret, quam ut amicitiam ac familiaritatem doctiſſimorum uirorum ſibi conciliaret. Anno qui ſequeque-

quebatur ∞. Ic c XXVII. celeberrimam Eberhardinam, quae Tubingae floret, adire decreuit, atque ibidem Theologis de toto Christiano coetu longe meritissimis THVMMIO, OSIANDRO & PREGIZERO se totum commisit, eorumque Scholis innutritus, multum in sacrarum literarum studio profecit. Venit quoque in notitiam BESOLDI & LANSII, tantorumque uirorum amorem ac beneuolentiam bona indole rectisque moribus sibi conciliauit. Anno ∞. Ic c c XXVIII. in Academiam Marpurgensem abiit, ibidemque impetrauit, ut Theologi de uniuersa Christi Ecclesia immortaliter meriti, D. FEVERBORNII, quo maiorem uix seeulum illud uidit, fidelissima institutione frueretur. Ac cum magno emolumento sibi futurum existimaret, si sub tanti Theologi signis, ipsi in publicum prodire liceret, summum hoc ecclesiae decus de habenda dissertatione modeste appellauit, & potestate ab eo facta, 37. Comma capit. XXIII. Matthaei, felici successu, nec minori applausu explicauit. Incredibilis interiora sacrarum literarum addiscendi cupiditas, Beatum D. SCHALLERVM eo impulit, ut celeberrimam ad Salam Academiam, quae Ienae floret, adire non dubitaret, in cuius tabulas An. ∞. Ic c XXIX. relatus est. Obtigit hic ipsi singulare id felicitatis genus, ut a summo Theologo D. GERHARDO, cuius gloria uniuersum orbem Christianum com-

ple-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [36] - 16

compleuit, primo inter domeſticos cooptaretur, ſucceſſu uero temporis in proprium tanti Viri Muſaeum reciperetur. Facile iudicare licet quantum occaſio lateri tanti Theologi adhaerendi atque ab ore eius aſſidue pendendi SCHALLERO profuerit, qui ſuarum partium nihil unquam praetermiſit, ſed omni uirium ratione conniſus eſt eo, ut in ſacro hoc ſtudiorum genere in ſolidos dies maiora caperet incrementa. Sic biennio integro ad pedes magni GERHARDI conſumto, multis ſolidae eruditionis dotibus locupletatus, in patriam reuerſus eſt, cum antea Dresdam, quam Principum Elector. Saxoniae ſedes illuſtrat, una cum Academiis Lipſienſe ac Vitembergenſe perluſtrauit. Quemadmodum uero honor uirtutis comes eſſe ſolet; ita B. quoque SCHALLERVM promerita in patria ſua praemia manebant. Namque anno ∞. Io c XXXIII. VI. Non. Iulii in florentiſſ. Argentoratenſi Academia Philoſophiam moralem publice docendi prouincia ei demandata eſt, qua aditus ipſi ad publicam gloriam factus, atque occaſio data, Rempubl. multis atque eximiis monimentis decorandi. Quanta induſtria, quantaque fide muneri huic praefuerit, loquuntur Auditores, qui cum per magnam partem Germaniae clarent, tum maxime Reipubl. Eccleſiae ac Scholis Argent. praeſunt, tantoque Praeceptori pro fidelisſima inſtitutione gratias agunt, ſimulque ut felicisſimus effectus de

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [37] - 17

cauſſa ſua teſtantur. Anno ∞. cIc XXXIV. concordibus ſuffragiis Doctorum ac Profeſſorum Theologorum in ſaepius laudata Academia, VI.iduum Martii, ſummi in Theologia honores ac priuilegia Doctoralia ipſi rite decernebantur. Hunc honoris gradum alii deinceps ſecuti ſunt, ſiquidem an. ∞. Ic XXXVII. XVII. Calendarum Februarii inter Canonicos Capituli Thomani receptus eſt. Quam dignitatem magna cum laude geſſit, atque experientia ſua uniuerſi Capituli utilitatem mire promouit. Erat enim inſtar hiſtoriae uiuae, atque ea omnia, quae in tabulas Collegii Thomani relata erant, ex prompta memoria depromere ualebat, eoque impetrabat, ut anno ∞. Ic LXVI. XVI. Calendarum Decembris titulo Decani, atque anno ∞. Ic LXXIV. dignitate Praepoſiti ornaretur. Coniugium eius, quanquam cum magna calamitate erat coniunctum, quod tertia uice illud iniit, in magnam tamen B. D. Schallerus beneficii partem poſuit, quod immortale Numen cuius nutu hominum fiunt connubia, tribus ipſum beauerit uxoribus, quarum amor, fides, concordia ac ſuauitas moleſtias matrimonii lenierit. Duxit autem primum ELISABETHAM natalibus SEIBLINIAM, MARCI SEVBLINII, Medicinae Doctoris filiam, DANIELIS HARNISTERI, Ciuis Argentoratenſis uiduam, cui Anno ∞. Ic XXXIV. VI.iduum Martii, atque adeo eodem die, quo Dignitate Doctoris

ris Theologi ornatus est, non infelicibus auspiciis connubii fidem astrinxit; siquidem cum eadem integros annos XXVI. usque ad Calendas Apr. anni ∞.Ic LX. consumsit. Deinde hac erepta, CHRISTIANAM VVOHLFARTIAM, NICOLAI AMGANSII, ciuis ac mercatoris ibidem uiduam superstitem, VI. Calendarum Iunii an. ∞. Ic LXII. coniugem sibi pactus est. Quae cum anno ∞. Ic LXVII. XIX. Calendarum Septembris in uiuis esse, desiit, OTTILIAM OEHLINGERIAM, FRIDERICI REVTERI, pariter ciuis ac mercatoris ibidem uiduam relictam, uitae torique sociam elegit. Quemadmodum uero secundum ac postremum matrimonium sterile erat: ita primum foecundum maxime fuit. Namque ex priori coniuge septem sucepit liberos, VRSVLAM nimirum & IACOBVM geminos, MARIAM DOROTHEAM, SALOMONEM, GVOLFGANGVM, CHRISTOPHORVM denique & IACOBVM rursum geminos. Omnes uero ac singuli hi, quos genuit, liberi, praematura parentibus morte sunt erepti, nec quisquam eorum ad mediocrem aetatis florem peruenit, excepta filia MARIA DOROTHEA, quae V. Calendarum Maii anno ∞. Ic LVII. IOANNI IACOBO FRIDENIO Reipbl. Argentoratens. Senatori ac Syndico nupsit, ac XXII. Decembris eiusdem anni febri acuta naturae debitum reddidit, cum enixa prius fuisset filiolam, quae VRSVLAE

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [39] - 19

ELISABETHAE nomine, in tabulas Reipublicae Christianae recepta est. Atque haec unica neptis turbato mortalitatis ordine Auum multis annis anteceſſit, quo ipſo id B. D. SCHALLERO uſu uenit, ut quotquot genuerat liberos, DEO immortali uiuus redderet. Tandem eos ipſe tranquillo potius ſomni, quam mortis genere ſecutus eſt, propterea quod nullos cuiusdam morbi dolores ſenſit, ſed de defectu tantum uirium, qui ſenium plerumque comitari ſolet, conqueſtus eſt. Nihilo tamen ſecius muneri ſibi demandato praefuit, ac labores, qui ipſi incumbebant, diligentiſſime adminiſtrauit; Prae ceteris uero conuentibus coetus DEO coniuncti frequentiſſime interfuit, atque ipſo demum ſacro Pentecoſtis feſto ſaluberrimam animae medicinam ſumſit, atque in ſolemni eccleſiae congregatione ſacris epulis refectus eſt. Tandem per quatuor ante beatiſſimum ipſius obitum dies, uires, quas natura ſuppeditat, magis magisque defecere. & quanquam Anno ∞. Ↄ c LXXVI. VII. Calendarum Iulii ipſis nimirum Sancti Iannis Baptiſtae uigiliis cum domeſticis pranſus eſt, ipſi tamen parum admodum cibi frui licuit. Quare ſe in lectulum recepit, ac cum ſuprema inſtare ſenſit, amicum ſibi ex paucis cariſſimum D. BALTHASAREM BEBELIVM, Theologum celebratiſſimum uocare iuſſit, qui cum comparuiſſet, horam decretoriam aduenire dixit, ac nil niſi quae coeleſtis aeternaeque uitae

deſide-

desiderium referebant, cogitauit ac locutus est. Quare cum ab amico hoc solatio confirmaretur, DEO se permisit totumque tradidit, & Seruatore suo CHRISTO fretus, planeque fultus, instructo atque expedito ad emigrandum animo, hora post meridiem III. dubiam hanc mortalemque uitam, cum beata & sempiterna, aetatis suae secundo & septuagesimo anno, quartoque praeterea mense, pie feliciterque commutauit.

SCRIPTA:

Quam plurimas emisit disputationes, suo munitas praesidio, ut Ethicam Pythagoricam: Ethicam Hesiodaeam: De certitudine Boni moralis, ex Sexti Philosophi Pyrrhoniarum hypothyposeon Lib. III. De tarda Numinis uindicta: De fraterno amore, ex Plutarcho: De discrimine adulatoris & amici, ex eodem: De Diuinatione, ex Cicerone: De Superstitione: De Blasphemia: De homine auaro: De Hospitalitate: De abstinentia circa cibum: De expositione infantum: De Ἀυλοχειρία: De Testamentis. De Legibus: De notitiis insitis: De Agricultura: De Bello: De Statu reipubl. turbato: De Magistratu: De re militari: De Monarchiarum corruptione: De Simonia: De Ostracismo: Ad Libros Philonis Iudaei: De VII. characteribus uirtutum Aristotelicarum: De Tortura in Christiana Rep. non exercenda: De Dione Cynico:

nico: De uanitate uanitatum, ex Eccleſ. 1. 12. De Alcibiade, Pſeudo-Politicorum mores adumbrante: De Cantilena: De uindicta: De Producta & Reiecta, ex Seneca: De pugna irae & patientiae ex Prudentio: De diuitiis: De mutuis uere amicorum officiis; De uerecundia; De Temeritate; De Stultitia; De uoluntario indirecto; De Pulcritudine fucata: De clementia Principis: De principiis decori, ad Apologiam pro Hobbio conſcriptam: De Ariſtocratia: De matrimonio; De Iudaeis; De quaeſtione; an ſecundum acta & probata, vel ſecundum conſcientiam iudicandum ſit? Laudabilia Politicorum, ex Iuſtino, ad Q. Septimii Fl. Tertulliani librum de ſpectaculis; De termino uitae; De libero Arbitrio contra Mart. Schockium; De conformatione creaturae rationalis ad Creatorem, contra Thomam Hobbeſium; Ad Hier. Rorarii libellum, quod animalia bruta ratione utantur melius homine; De Paupertate; De amiſſione gratiae & ſtatu peccati; De Summo Bono; Parallelismum Alcumenae, ex Plutarcho: De M. Antonini Imp. Philoſophia: De conſiliario: De contumelia: Ideam uiri excellentis, ex Corn. Nepote: De Cimone, ex eodem: De natura deſperationis: De natura Deorum, ex Cicerone: De arte & ratione diſcendi: De Dolo: De Fabulis: De indulgentiis: De Chriſto, offen-

offenſionis lapide: De φιλονία Germanorum: De Scipione Africano, ſeu Comitatis ſpeculo: Decuriam quaeſtionum Practicarum: Quibus principiis & axiomatibus Pontificii Scriptores nuntium mittere debeant, ut Pax firma in Germania ſeruari poſſit etc. confer. V Vittii Diar. Biograph. Tom. 1. ſub Anno 1676.

III.

PROGRAMMA,

Quo

RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS

ad

IOANNEM ITTIGIVM,

Philoſophiae & Medicinae Doctorem, Phyſices P. P. celeberrimum, Facultatis Philoſophicae & Collegii Minoriis Principum Seniorem, nec non Academiae Decem-Virum longe ſpectatiſſimum,

Virum de ſingulis muneribus, quae ſuſtinuit, optime meritum,

Efferendum & componendum

Frequentes Procerum ac Ciuium Academiae exequias opere maximo exorauit.

CVm in Apocalypſi Ioannea tot Sacramenta ſint, quot uerba, dicente Hieronymo, tum uiſio ſecunda maxime, quae Capite quarto deſcribitur, abſtruſo myſterio non caret. Ita autem inter alia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [43] - 23

alia Ioannes Θεολογώτατος, ubi coelum apertum, inque eo ſedentem quendam inſtar Iaſpidis & Sardii exſplendeſcentem conſpexiſſet: *Et in circuitu ſedis ſedilia uiginti quatuor, & ſuper thronos uidi uiginti quatuor Seniores ſedentes, circumamictos ſtolis albis, & habebant in capitibus ſuis coronas aureas.* Quae uiſio quamuis Eccleſiam indubitato exhibeat ſiue militantem, ſiue triumphantem; expreſſa tamen Seniorum uiginti quatuor mentione, mirum quantum perplexabiles reddidit interpretes. Lyra enim, ut potiores tantum afferamus, per Sedilia Eccleſias Cathedrales, per uiginti quatuor Seniores uniuerſos Eccleſiarum intelligit Epiſcopos, ad totidem uidelicet ordines alludens, quos Dauid hebdomatim ad cultus in tabernaculo diuinos ordinarat. Ludouicus ab Alcazar, doctisſimus Hiſpanorum Loiolita, ſub Seniorum uiginti quatuor perſona, Sacerdotum Chriſtianorum dignitatem figurari exiſtimat, quippe qui Presbyterorum ſeu Seniorum nomen in Eccleſia prae aliis retulerint. Cornelium a Lapide ſi audias, Seniores iam dicti, Cardinales, totumque hoc caput nihil aliud, quam Conſeſſus Pontificis repraeſentat. Nam Capella, quam uocant, Pontificis, imago illi eſt coeleſtis Hieroſolymae, Pontifex Dei, Cardinales Seniorum uiginti quatuor. Sunt alii, qui cum Andrea Caeſarienſi uiginti quatuor Seniores per duodecim Patriarchas Veteris, & duodecim Apo-

Apoſtolos Noui Teſtamenti interpretantur. Nec deſunt, qui cum Monachio & Ribera per Seniores uiginti quatuor, illuſtriores ſaltem utriusque foederis Sanctos denotari contendunt. Sed ſcopum haud dubie propius attingunt, qui non Eccleſiae tantum miniſtros, Prophetasque & Apoſtolos, ſed Sanctos quosque tanquam ſpirituales Sacerdotes, Deumque in ueritate & Spiritu adorantes, uelut in dramate exhiberi putant; quam ſententiam ex Reformatis Marloratus & Pareus; ex noſtris Oſiander, Hoëus & Prücknerus ſuam faciunt: a qua nec alienus eſt Anonymus quidam, cuius Lectura in Apocalipſin Manuſcripta, in Paullina Bibliotheca aſſeruatur. Sic enim uerba illius habent: *Et ſuper thronos, uiginti quatuor Senes ſedentes, i. e. Sancti Veteris & Noui Teſtamenti, Eccleſiam ſuis meritis (ſcilicet!) fulcientes; fuerunt enim Patriarchae filii Iacob, ex quibus Sancti Veteris Teſtamenti traxerunt originem, & duodecim Apoſtoli, ex quibus Sancti noui Teſtamenti praefectionis initium aſſumpſerut. Hi ergo dicuntur eſſe in circuitu ſedis, & ſedere in throno, quia cum Domino iudicabunt, eius iudicium per omnia approbantes.* Enim uero Sanctis non certis, ſed omnibus commercium iudicandi poteſtatis promiſſum a Chriſto eſt; Sancti etiam quique ueſtimentis albis ſunt circumcincti, unde Haymo in Commentario Manuſcripto: Hoc non ſolum ad Apoſtolos pertinet, ſed

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [45] - 25

generaliter ad omnes, qui ueſtimenta baptiſmatis inuiolata a capitalibus criminibus cuſtodiunt; Baptizati enim Chriſtum ſunt induti, iuxta illud Apoſtoli: Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, &c. Et quotusquisque denique ignorat, fidelibus ſanctisque omnibus coronam uitae ſeu iuſtitiae, quam & auream uocant Scholaſtici, in diuinis literis decerni? Senioribus itaque illis a Ioanne conſpectis non immerito annumeramus Venerabilem Facultatis Philoſophicae & Collegii Minoris Principum Seniorem, Virum, inquam, Ampliſſimum, Excellentiſſimum atque Experientiſſimum, Dominum IOANNEM ITTIGIVM, Philoſophiae & Medicinae Doctorem, Phyſicae Profeſſorem publicum & Academiae Decem-Virum de publico egregie meritiſſimum. Siue enim ad uitam eius in coelo iam ceptam reſpiciamus, iuſtitiae ſtola indutus eſt in conſpectu Numinis, Coronamque iam geſtat auro & gemma omni pretioſiorem; ſiue ad militiam uitae huius feliciter iam conſummatam, ueſtimentis doctrinae Euangelicae candidis, coronaque fidei ſaluificae aurea conſpiciendum nunquam non ſe dedit. Quod ad oculum ueluti patebit clarius, ſi per capita tantum ac ſummatim, pro more uidelicet Academico, uitam Senioris optime percenſuerimus. Natus in Ampliſſima Comitatus Hennebergici ciuitate Schleuſinga A. R.S. 1607. die 8. Octobris, Parentem ſortitus eſt

eſt prudentia dexteritateque nulli facile ſecundum, IOANNEM ITTIGIVM, Senatorem & Commendaturae, quae Schleuſingae eſt, Praefectum, qui patrem agnoſcebat EBERHARDVM ITTIGIVM, Virum antiquae uirtutis & Commendaturarum Schleuſingenſis ac VVeiſſenſeenſis Procuratorem laudatiſſimum, auumque M. FRANCISCVM ITTIGIVM, Virum aeterna memoria digniſſimum, eumque Gymnaſii Schleuſingenſis primum poſt redaccenſam Euangelii a Luthero facem, Rectorem atque Inſtauratorem, & Philippo Melanchtoni, totius Germaniae Praeceptori, teſtibus huiuſce literis adhuc extantibus, longe cariſſimum atque aeſtimatiſſimum. Et parens quidem, uti hunc filium peccati originarii labe contaminatum non ignorabat; ita cum uxore piiſſima MARGARETHA Viri prudentiſſimi IOANNIS IMHOFII, Senatoris Schleuſingae filia, quam matrem uenerabatur Noſter, nihil prius antiquiusque tum habebat, quam ut uitae aeternae Candidatum illum redderet. Stola itaque iuſtitiae alba eum indui in baptiſmate &, deprehenſa indolis ingeniique praeſtantia, pietate & liberalibus in Gymnaſio patrio artibus exornari curauit. Qua in palaeſtra, cum per annos bene multos ſe exercitaſſet filius, non difficulter tam diligentia concatenata, quam modeſtia ſingulari Profeſſores ſibi propitiauit, GVOLFGANGVM SEBERVM, Paſtorem & Ephorum Vene-

Venerabilem, IOANNEM IVNGERVM, Doctorem Medicinae eximium, M. IACOBVM SORGERVM, clariſſimum Gymnaſii Rectorem, Con-Rectoremque eius non incelebrem M. VITVM IAEGERVM, quorum & de conſilio, anno ſeculi currentis trigeſimo ſexto, ad Almam Salanam, cuius faſces id temporis ORTOLPHVS FOMANNVS, ſpectatiſſimus Facultatis Iuridicae Ordinarius, moderabatur, ſe contulit. Albo huius inſcriptus, Trigae Philoſophorum excellentiſſimae, DANIELI STAHLIO, HIERONIMO PRAETORIO & IOANNI ZEISOLDO adhaeſit totus; Cumque Theologicas etiam literas non indiligenter habere accepiſſet, par Theologorum incomparabile, IOANNEM GERHARDVM & IOANNEM HIMMELIVM, perquam ſedulus audiuit; quin & celeberrimum illum Philologum IOANN. MICHAEL DILHERRVM (hoc enim lumine Iena tum ſuperbiebat) priuatim in Orientali literatura adhibuit ducem. Peracto illic triennio, Philuream hanc Studiorum Magiſtram ac Sedem delegit, cuius Rectorem Magnificentiſſimum tum agebat Illuſtriſſimus Princeps IANVSIVS RADZIVILIVS, Pro-Rectoremque POLYCARPVS LYSERVS, emendatiſſimus Theologiae Profeſſor & Ephorus Dioeceſeos Lipſicae grauiſſimus. Quo cum ueniſſet, paterno ueluti gremio exceptus eſt a M. GVILIELMO AVIANO, Facultatis Philoſophcae Aſſeſſo-

Assessore & Scholae Thom. Rectore, cui dein L. ANDREAS CORVINVS, Polyhistor Almae huius egregius in beneficentiae exercitio successit. Quantumuis autem non tam sibi, quam filiis Procerum Lipsiensium informandis impendere tempus cogeretur, a publicis tamen Professorum subselliis se abstrahi haud passus, Trinum illud Collegii Philosophici perfectum L. MüLLERVM, L. CORVINVM & M. RECKLEBERIVM uenerabundus, suspexit; Quorum ex Scholis cum non exiguam bonarum artium & Philosophiae supellectilem retulisset, primam Lauream anno trigesimo, supremamque proxime insequente anno cum maximo omnium applausu fuit consequutus. Magistris ergo Lipsiensibus accensitus, sibi uiam ac sedem in Facultate Philosophica aliquando occupandam, per Disputationes non unas, tanquam locupletes Philosophicarum eruditionum testes, mature strauit. Quod quidem ut strenue ageret; Theologicum tamen cursum nihilo segnius continuabat, ducem in eo nactus, Theologorum facile Principem HEINRICVM HOEPFNERVM, cuius ex Theologica Officina Theologi optimi, HVLSEMANNI, OLEARII & CARPZOVII, aliique complures prodierunt. Mutare autem hanc animi mentem tum ob memoriae imbecillitatem, tum ob causas alias sat praegnantes habebat necesse. Ad Medicinam itaque se totum applicuit, utque in ea haud uulgare quid-

quidpiam praestare aliquando posset, Medicos huius Athenaei praeclarissimos, ZEIDLERVM, KESTIVM & MICHAELEM fuit sectatus. Neque occasio illi non erat hoc institutum ad ἀκμὴν exoptatam perducendi. Admotus enim priuatae Sobolis formationi a D. IOANNE RVPERTO SVLZBERGERO, Serenissimi Electoris Saxoniae Archiatro, tanti Hospitis opitulatu eo usque in Medicina processit ut Licentiam quam uocant, Medicam, post Baccalaureatum antidhac obtentum, & Disputationes Lectionesque rite habitas capessere Anno ∞. Iↄ c XXXIIX. potuerit. Quo quidem anno fortunam expertus est adeo obstetricantem; ut non Licentia saltem iam dicta, sed & Minoris Principum Collegii Collegiatura, Decanatu item Philosophiae & Organi Aristotelici Professione (quam Anno ∞. Iↄ c LI. post fata D. CHRISTOPHORI PREIBISII, primi illius Rectoris in hac Philurea mortalitatis, ex Serenissimi Electoris iussu cum Physica commutauit) mactaretur. Academicis igitur commodis destinatum se uidens, praxin Medicam sequestrauit, non item Medicinam ipsam, quippe cuius insignia Doctoralia An. ∞. Iↄ c LI. cum GOTHOFREDO WELSCHIO, hodie Magnifico Gratiosae Facultatis Decano, quem per biennium antehac in Philosophica Medicaque palaestra exercuerat, reportauit. De cetero ut infatigabile studium quoddam ad Academiam exornandam, attule-

attulerat; ita multum nominis ac gloriae, imo ſummos quosque Academiae honores ſibi conciliauit. Nam Decem-Viratum ut taceamus, Anno ∞. Io c LIX. obtentum, gubernacula Academiae ſepties, Decanatum Philoſophicum, Pro-Cancellariatum, Praepoſituram Collegii Minoris, ac Praepoſituram Magnam uicibus una pluribus administrauit; Cumque rerum Academiae nariſſimum ac ſtudioſisſimum ſe omnibus approbaſſet, ad publica Comitia non ſemel, nec ſine multiplici Academiae emolumento fuit ablegatus. Quae munera ſingula quanta dexteritate ac fide, quanta prudentia uigilantiaque obierit, enunciari in tam anguſto chartae ſpatio non poteſt. Loquitur eius merita Academia uniuerſa, loquitur Facultas Philoſophica, loquitur templum Paullinum auſpiciis ITTIGIANIS renouatum, loquitur Oeconomia ſeu Communitas, loquitur denique & Bibliotheca publica, cuius curam poſt HEINRICI HOEPFNERI, Theologi celebratisſimi obitum, ex Senatus Conſulto Academico, ſuſceperat. Nobis a publica ad priuam illius uitam digrediendum. Spartam enim adeptus ITTIGIVS ampliſſimus, de Martha quoque proſpiciendum ſibi eſſe non abs re exiſtimauit. Iunxit autem ſibi rariſsimi exempli feminam SABINAM ELISABETHAM Viri plurimum Reuerendi atque Excellentiſſimi THOMAE WEINRICHII Theologiae Licentiati Profeſſoris

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [51] - 31

feſſoris Theologiae Collegiatique Mar. filiam, quam Vir optimus atque dexterimus ELIAS REHFELDIVS, Bibliopola primarius uiduam reliquerat; quo cum annos triginta quinque quam coniunctiſſime uixit liberosque ex ea ſuſcepit ſex, filios, inquam, quinos, IOANNEM PHILIPPVM, in decimo aetatis anno exſtinctum, & qui adhuc ſuperſtitant, frugi omnes & nunquam erubeſcendi Philoſophiae Magiſtri, THOMAM, uidelicet, Eccleſiaſtem ad D. Thomae dignisſimum, GOTHOFREDVM NICOLAVM, I. V. Licentiandum, eumque feminae examusſitatae DOROTHEAE, Viri quondam ſummi ac Magnifici, IOANNIS CHRISTIANI MARCI, Conſiliarii Electoralis ac Duc: filiae, maritatum, filiolique IOANNIS CHRISTOPHORI, ſed heu uix nati, denati! parentem factum; IOANNEM CHRISTIANVM, Paſtorem Gleſinenſem ac matrimonio caſtitisſimae Virginis ELISABETHAE, ex Viro per-Reuerendo M. IOANNE MATTHAEO ZEISIO, Paſtore eiusdem loci natae, illigatum; & IOANNEM FRIDERICVM, Medicinae Candidatum, iamque Generoſisſimi ac Perilluſtris Baronis a TAVBEN, Serenisſimi Electoris Saxonici Cancellarii Eminentiſſimi in Miniſterio Medico occupatum; ac filiam unicam ANNAM MARGARETHAM, Viro Clariſſimo & conſulto M. IOANNI LANGIO, Iur. Vtriusque Candidato ſociatam, qui & ſexies ITTIGIVM

Noſtrum

Noſtrum auum reddidit, editis in lucem tribus filiis ac totidem filiabus, ex quibus tres, IOANNA MARGARETHA, ROSINA ELISABTHA & IOANNES GOTHOFREDVS, immaturo fato obierunt; tres autem adhuc uictitant CHRISTIANVS, DOROTHEA SOPHIA, & IOANN GOTHOFREDVS, qui quidem poſt obitum demum Aui excellentiſſimi hanc lucem eſt intuitus: Ceterum uti in publica priuataque, uita pulcherrimum aliis exemplum oſtentabat; ita, Chriſtianismum ſi ſpectes, Seniorem exhibuit ſtola doctrinae Euangelicae candida aureoque fidei diademate inſignitum. Princeps enim illius cura erat, coeleſtia oracula uoluere, reuoluere, ſacra ſynaxi uti, actionesque omnes ad uerbi Diuini Hermathenam dirigere. Quem uitae colorem cum ad extrema usque tenuerit conſtanter, ecquis dubitet, Eum Senioribus illis uiginti quatuor in triumphante Eccleſia iam aggregatum, ueſtibusque iuſtitiae albis indutum, & aurea uitae aeternae corona redimitum eſſe? Sed mortis praeliminaria uel tribus adhuc attingenda. Nimirum biennium cum dimidio eſt, cum ex templo Ioanneo, cuius Paſtoratu tum filius dilectiſſimus, M. THOMAS fungebatur, redux factus, a Catharro apoplectico in tantum percelleretur, ut omnis reconualeſcandi Spes propemodum decollaret. Fecit tamen & naturae bonitas, & medicamentorum uſus non infrequens, ut uires

reciperet quadantenus ; quamquam haud uane censebat Medicus , recto talo ipsius ualetudinem haud posse stare. Non defuit interim cura uxoris pientissimae & liberorum frugi solicitissima , & nihil illorum temere praeteruisum , quae ad uires reficiendas, & recidiuam apoplectici paroxysmi amoliendam spectare uidebantur. Senior uero ipsemet ut proxime ab ultimis abesse se probe intelligebat; ita precibus assiduis , diligenti sacrorum librorum lectione & sacri uiatici usu ad coelestis Hierosolymae ingressum se praeparabat. Factumque die uigesimo primo Iulii, ut, cum precibus matutinis uix uacasset, paroxysmo apoplectico denuo perculsus, placidissime & in dormientem similis exspiraret. Infelicem uero hanc Almam, quae ITTIGIO h. e. Viro boni publici amantissimo destituitur ! Infelicem Facultatem Philosophicam, cui Caput tam uenerabile tamque praeclare de commodis illius meritum eripitur ! Sed nolumus in lamenta nunc erumpere ; quin potius reliquiis Senioris optimi ad Requietorium Paullinum deducendis, supremum decernimus honorem ; quem, ut prolixe copioseque hora tertia exhibeant, leuemque terram ac placidam illic quietem apprecentur , etiam atque etiam Proceres ac Ciues Academiae omnes admonemus. P. P. Lipsiae , d. 25. Iulii A. E. C. M. DC. LXXVI.

SCRI-

SCRIPTA:

Sub ITTIGII Praesidio variae prodierunt Dissertationes, nimirum de Igne fatuo, atque aliis argumentis Philosophicis.

IV.

HONOR EXSEQVIALIS,

CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Logices & Metaphysices in celeberrima propter Albim Academia Professori publico optime merito, XVI. Calendarum Maii Anno ∞. Io cLXXVII. aetatis suae LXXII. pie denato, cum inter bonorum omnium luctum efferretur, exhibitus,

A

RECTORE ACADEMIAE VITEMBERGENSIS.

QVi de statione, in qua positi sunt, non decedunt temere, & labores molestiasque omnes constanter ferunt, ii non modo patriam eximie diligunt, sed etiam de republica praeclare merentur. Nam & continuata uitae ratio uigorque animi laudem habent, & plurima in bonos officia apertissime testantur. De qua sententia nemo minus, quam sapientes uiri se deduci patiuntur, ii praecipue, qui docendae in Academia iuuentutis partes recte susceperunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [55] - 35

Quippe qui nullo quaestu lucroque ducti; honestissimis duntaxat ingenii exercitationibus laetantur & gaudent, quique hoc agunt assidue & uolunt, ut optima ingenia in spem laudis erigantur. Quae mens atque consilium rectissima sunt, & in animo uiri nobilissimi CHRISTIANI TRENTSCHII, Professoris Publici, Collegae ob doctrinam fidemque nobis demonstratam honoratissimi, tantam uim, tantumque pondus habuerunt, ut Philosophiam, quae tota in contemplando sita est, liberaleque hoc otium omnibus sane rebus aliis prudens sciensque anteferret. Quam late etiam patet literarum decus, tam acre studium ad augendum ornandumque illud adhibebat, palam testatus, hoc institutum certis rationibus susceptum retinere uelle. Idque opere probauit, ac uirtute industriaque fretus, cogitata optima perfecit. Tota uita & dignitatem nominis, & grauitatem muneris conseruauit, rectissimaque & sensit & peregit. Neque quidquam tam fuit magnum atque arduum, quin eius diligentiae cederet, siquidem tale esset, ut ex usu suo futurum iudicaret. Nullam quoque uoluptatem, nisi ex rebus seriis, capiebat: remedia aduersae ualetudinis & fortunae aegritudinisque leniendae a religione Sacrorum petebat, & doloribus omnibus fortissime resistebat. Inde conuersus ad libros, se imprimis erexit, & iuuenes, quibus sapientia cordi erat, summo studio fideque & iuuit,

iuuit, & ornauit. Naſcendi auſpicia habuit Anno cIↃ IↃ c c V. Hainae, ditionis Miſnicae oppido, & fama uetuſtateque nobili, ac Domicilio etiam diuorum Principum olim claro. Pater ei fuit dignitate conſulari Vir AEGIDIVS TRENTSCHIVS, qui ſumma ſenectute tantam grauitatem ſibi conciliauit, ut unus ille tunc praecipuus uideretur, qui inſignem in republica locum uirtute prudentiaque tueri poſſet. Etenim octoginta quatuor annis uixit, atque in negotiis multo honeſtiſſimis omnem prope aetatem conſumpſit. Matrem coluit BARBARAM VINCKELMANNIAM, feminam & luculenta fortuna, & egregiis dotibus praeditam, cuius Pater LAVRENTIVS, quaeſtura principali Hainae & Mauritioburgi, ſumma cum laude eſt functus. His parentibus genitus, laetum creſcendi omen accepit, & ſtatim ſacris fontibus ablutus, auſpicatiſſimum Chriſtiani nomen tulit. Inde literis eruditus, in ludo Hainenſi omnes diligentiae partes expleuit. Hic exacto pueritiae curriculo, reſtabant maiora ſpatia conficienda in illuſtri Schola Miſnenſi, quae ſemper nutrix quaedam praeſtantium ingeniorum fuit. Cuius induſtriae curſus plane eximius, & ſumma cum eius laude fuerat coniunctus, adeo, ut nequidem de ueſtigio unquam deflexerit. Quamobrem Lipſiam, urbem & elegantia moris, & frequentia hominum, & ſtudiorum celebritate inclutam adiit, & in au-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [57] - 37

diendis uiris multo celeberrimis ardens ſemper atque aſſiduus fuit. Mox inuiſendae Vitembergae, quam uel nominaſſe ſufficit, cupiditate incitatus, ſedem atque domicilium ſtudiorum ibi collocauit, & ſpem expectationemque omnium accuratiſſime impleuit. Poſtquam enim in uiri Martini Troſtii conſuetudinem uenit, magnum & laboris & laudis fructum cepit, & in uoluntate propoſitoque addiſcendi Ebraeam, ceterasque orientis linguas, uehementer confirmatus, operam ſtudio ſacro, quod ingreſſurus erat, multa & magna ſubſidia comparauit. Fuitque haec eius opera tam grata noſtris atque iucunda, ut dignum reputarent patres, quem Principi Saxonum commendarent. Neq; Lipſia ornando eius ingenio defuit, ſed primam lauream adepto, honoris quaſi cumulum adiecit, omnesque eius uitae doctrinaeque rationes ſummopere probauit. Equidem Anno cIↃ IↃ cXXXIV. ſummis in Philoſophia honoribus priolegiisque auctus, ſtudium eximium & ſingulare praeclaramque indolem omnibus demonſtrauit. Id cum proſperum ipſi euenisſet, dignum liberaleque ipſi uiſum eſt, proficiſci ad exteros, & mores inſtitutaque popu'orum contemplari: quod ubi conſecutus eſt, ex Dania redux, magnam ex eo laudis acceſſionem habuit, & in priuatis Scholis ſe atque alios diligentiſſime exercuit, tantumque ptofecit, ut Anno cIↃ Ic cXXXIX. ab ampliſſimo Philoſophorum ordine in adſcripto-

ſcriptorum numerum cooptaretur. Ita uero tunc ille nota diligentiae ratione omnes ſibi deuinxit, ut non tantum curauerit, quae patribus honori eſſent, ſed etiam effecerit, ut ſtudioſae iuuentutis commoda inprimis augerentur. Parauit enim ſeſe & praeſtitit talem, ut omnes uires copiasque ſuas in communem utilitatem explicaret. Scholae eius, quarum ſeptuaginta habuit, prius quam Profeſſoris Publici munus conſequebatur, non ſecus ac fontes quidam ſcientiae . omnibus apertae fuerunt. Quin etiam ubertate copiaque doctrinae coeleſtis ita abundabat, ut in eo genere parem induſtriam teſtificari poſſet. Nouies praelegit & diſputauit, artesque eorum & fraudes, qui ſacra a maioribus aſſerta oppugnarent, plane ac docte expediuit. Cumque tam bene ſtudium poſuiſſet, iam uelut productus in literarum lucem, ad ornandum ſapientiae Ordinem deſignari uidebatur. Itaque Anno clɔ Iɔ c XLVI. Ieſſenae praefectura ſacrorum ipſi decreta eſt, cuius fructum ei fatale oppidi incendium, bellique calamitas eripuerunt. Sed adeo non clauſit illi ſuam benignitatem Deus, ut quoque anno poſt clɔ Iɔ c XLIX. ipſi aditum patefaceret ad conſequendam profeſſionis amplam luculentamque dignitatem. Quod munus ſumma fide annis XXIIX. geſſit, & magiſtratum Academiae bis & bene & ſapienter adminiſtrauit. Ad regenda ſapientiae ſtudia quinquies eſt accitus, omniaque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [59] - 39

Ordinis negotia & honorifice ſuſcepit, & ſolicite tractauit, & laudabiliter confecit. Pro-Decani nomen titulumque bis habuit, atque ornauit. Tot laudibus celebratus, Anno clɔ Iɔ c L. ANNAE MARIAE ENGELHARTIAE, uirgini ornatiſſimae pudicisſimaeque, ZACHARIAE ENGELHARTI, a rationibus frumentariis quondam potentiſſimo Principi Electori Saxoniae, uiri & fide, & dignitate ſpectatiſſimi filiae, connubii fidem dedit. Quae leniuit multas eius moleſtias, atque ex animo ipſum uereque dilexit, atque auctum ſex liberis, CHRISTIANO & IOANNE, & quatuor filiabus, uirginibus forma uirtuteque egregiis, ANNA MARIA, CATHARINA ELISABETHA, DOROTHEA & REGINA, multo & magno gaudio affecit. Sed alter filius, duaeque filiae iam ante patrem e uita deceſſerunt: reliqui & in rebus honeſtiſſimis, & tuendis familiae commodis pulchre etiamnum uerſantur, atque hoc tempore ereptum ſibi praeſidium lacrymis deflent. Cuius aetas per ſe grauis, doloribus podagrae totis ſedecim annis afflicta, nuper admodum omnem ſane medicinam reſpuebat. Quo factum eſt, ut ab experientiſſimo Viro D. IEREMIA LOSSIO neque profligandi, neque mitigandi in poſterum eius mali ratio inueniri poſſet. Nam concitato uehementius exaſperatoque morbo, omnes corporis uires affectae, dolori exquiſitiſſimo haud obſiſtere potuerunt. Quare

de

de ſupremis cogitans, animae praecipue curam habuit, atque adeo ad ſanctum iter paratus inſtructusque, in ſpe uitae melioris ſolatioque diuino conquieuit. Cum ipſi myſteria praeberentur, rem ſacram faciebat admodum reuerendus clariſſimusque uir, interpres ſacrorum meritiſſimus, IOANNES FABRICIVS, qui toto animo cogitationeque ad coelos conuerſum, omni ſolicitudine liberauit. His modis firmatus, XVI. Calend. Maii, in uiuis eſſe deſiit, poſtquam octo & uiginti annis & Academiae commodis & honori ſeruiiſſet. Cui etiam mortuo gratiſſimum facturi eſtis, ciues, ſi ad exequias ſolemniter ab hora I. ex aedibus Trentſchianis ducendas, & concione funebri honorandas libenter ſtudioſeque conueniatis, & cum celeberrimi uiri meritis, tum ampliſſimae familiae luctui leniendo hoc tale officium tribuatis. P.P. Dominica Miſericordiae, Anno ſalutis reparatae M DC LXXVII.

SCRIPTA:

Sub praeſidio eius habitae ſunt diſputationes de Philoſophiae natura. De propriorum communicatione: De natura praedicationis: De ueritate: De bonitate tranſcendentali: De neceſſario & contingente: De eodem & diuerſo: De uniuerſali & Singulari: De principio & principiato: De potentia & actu: De diſiunctis affectionibus entis in genere: De unitate tam indi-

uiſibili, quam diuiſibili: De Sophiſta: De enunciatione infinita: De concurſu cauſſae primae cum cauſſa ſecunda: De conditione ſine qua non: utrum aliquid rationis quibusdam brutis competat? De exiſtentia Spirituum: De cauſſa morali: De intellectu: De uno &c.

V.

VITA FRANCISCI, FRANCISCI FILII, IVNII,

Heidelbergenſis, Philologi ſuae aetatis in Anglia ſummi,

Auctore

IOANNE GEORGIO GRAEVIO.

NAtale ſolum FRANCISCI IVNII eſt Heidelberga, nobiliſſima & amoeniſſima urbs ad Nicrum, Palatinatus Rhenenſis caput, diu tam Palatinorum Principum, quam Muſarum celebris ſedes, ſed quae fuit funeſto hoc bello extincta, ſoloque aequata. In hac editus eſt anno nonageſimo primo ſuperioris Seculi. Pater ei fuit ſummus ille Theologus, FRANCISCVS IVNIVS Biturix, quem non tantum illuſtrauit ſingularis rerum diuinarum Scientia, ſed & eruditionis multiplicis & diffuſae copia.

Teſtimo-

Teſtimonio ſunt Cordinus de officiis Palatii & magnae Eccleſiae Conſtantinopolitanae, ab illo in Latinam linguam conuerſus & eius annotationes cum ad hunc ſcriptorem, tum ad Manilium, Epiſtolas Ciceronis ad Atticum, & Tertullianum. Tantam eruditionem ornabat rara & mirifica quaedam ingenii moderatio multis inſignibus ſpectata documentis in eccleſiis conſtituendis & optime fundanda diſciplina, nec non in controuerſiis, ſi quae orirentur ſedandis ac ſopiendis, nec exasperandis, ac leniter ferendis iis, qui non plane eadem illi ſentiebant in capitibus nonnullis doctrinae Chriſtianae. Matrem habuit & natalium dignitate, & eximiis animi corporisque dotibus conſpicuam feminam, IOANNAM, SIMONIS de L'HEREMITE, Toparchae Petinaſartii, Scabini Antvverpiae filiam. Huius quoque gentis fuit DANIEL EREMITA, uir politiſſimus & diſſertiſſimus, cuius elegantia non modo iuueni conciliauit IOSEPHVM SCALIGERVM, ISAACVM CASAVBONVM, aliosque illius memoriae uiros magnae doctrinae, ſed & Principum Italiae, cum per illam iter faceret, praecipue Magni Etruriae Ducis, FERDINANDI MEDICES beneuolentiam illi peperit, ut eius Comitatui adſcriberetur, & poſtea cum illius Oratore mitteretur ad Romanum Imperatorem, & plerosque Principes Germaniae. De quâ profectione duae in manibus doctorum ſunt epiſtolae,

multo

multo elegantiae & urbanitatis ſale perſperſae, licet nonnemini uideantur eſſe iuſto dicaciores, ſed quae in lucem poſt eius fata ſunt datae. In illa, in qua de Principum aulis, quas luſtrarant, agit, multa deſiderantur, quae tamen olim apud amicum meum MARQVARDVM GVDIVM, qui Regi Daniae fuit a Conſiliis, uidimus. De utriusque generis maioribus IVNII, plura ſi expetis ſcire, uita eſt inſpicienda Patris, quam ipſe memoriae prodidit, ſed PAVLLVS MERVLA poſt eius obitum diuulgauit. Anno cIↃ IↃ XCII. deliberatum fuit Parenti remigrare in Patriam ad HENRICVM Magnum Galliarum Regem. Cum tranſiret Belgiam Foederatam, Praepotentes Ordines Batauiae illi detulerunt Prouinciam in Academia Leidenſi docendi ſacras literas, quam magno celeberrimi illius Athenaei & Eccleſiae cum fructu adminiſtrauit ad annum ſecundum huius ſeculi, quo ex uiuis exceſſit. Filius in his terris adoleſcebat. Cum aetas ferret, animum cepit ad Mathematicas diſciplinas applicare, & bellicis artibus ſe dedere, hoc conſilio, ut, cum ſe corroboraſſet, ſtipendia faceret ſub ductu Arauſionenſis Principis. Sed cum poſt bellum pactis induciis duodecennibus, componeretur anno cIↃ IↃ cIX. aliam uitae rationem iniit totum ſe mancipans cum ceterarum optimarum artium, tum praecipue ſacrarum literarum ſtudiis. Hoc tempore collegit, digeſſit, & publi-

publicauit Patris ſui ſcripta. Dein contendit in Galliam & Anno clo Io c XX. exilla traiecit in Britanniam, gratus ubique doctis & bonis omnibus, propter ingenii doctrinaeque praeſtantiam & morum temperatorum mirificam ſuauitatem. Captus amoenitate beatae illius inſulae & beneuolentia uirorum illuſtrium, qua tantum complectebantur hoſpitem, ſedem ibi fixit, receptus in familiam illuſtriſſimi ARVNDELLIAE & SVRRIAE Comitis, & ipſos annos XXX. in illa tranſegit. Quo tempore de Pictura Veterum libros condidit, qui Amſterodami typis mandati ſunt a Guilielmo Blauio. Litterarum commiercium ei tum intercedebat cum uiris maximis, HVGONE GROTIO, CLAVDIO SALMASIO, GERARDO IOANNE VOSSIO, cum quo ſoror IVNII erat nupta, IACOBO VSSERIO, Archiepiſcopo Armachano, ac non paucis aliis, quos eruditionis ſolidioris ſpectataeque probitatis opinio ſuper ceteros extulerat ſui temporis & loci homines. In Anglia cum incidiſſet in multos ueteres Anglo-Saxonicos libros, illam cepit linguam excolere, quam cum ad Belgicam, quae ei erat uernacula, Germanicam & Anglicam illuſtrandam, ueras perueſtigandas origines plurimum facere cognoſſet, multum ſtudii & operae in illa perdiſcenda collocauit. Huic accidit poſtea cognitionem omnium ueterum linguarum Septentrionalium, Gothicae, Francicae, Cimbricae, quae

&

& Runica dicitur, Friſicae. Vnde didicit ex illis ſolis multas etiam Francicae, Hiſpanicae, Italicae linguae, qua nunc illae gentes utuntur, uocum origines & propriam notionem erui poſſe. Nam Gothi, Vandali, Franci, Burgundi, Allemanni, cum fatiſcente Romano Imperio illas terras occupaſſent, ſermonem patrium illis intulerunt, cuius multa ſuperſunt etiam nunc non obſcura ueſtigia, quae ab illo deprehendi poſſunt, qui non expers eſt ueterum iſtarum linguarum. Poſt annorum triginta moram in patriam tandem rediit IVNIVS, precibus ſororis, & aliorum neceſſariorum expugnatus. Nihil, cum reuertiſſet adſuos, de grauiſſimis laboribus, & acerrima contentione rimandi priſca Septentrionis monimenta, uel aetas ingraueſcens relaxauit. Itaque totus erat in contexendis Anglo-Saxonicis, Francicis, & Cimbricis Lexicis ac Gloſſariis, & explanandis antiquiſſimis harum gentium Scriptoribus. Specimen primum huius ſuae induſtriae & doctrinae Amſterodami edidit Anno cIↃ IↃ c LV. obſeruationes in VVILLERAMI Abbatis Francicam Paraphraſin Cantici Canticorum, quam olim in lucem protraxerat Lugduni Batauorum PAVLLVS MERVLA, Vir clariſſimus. Cum omni cura cogitationeque in hoc ſtudiorum genere uerſaretur, & incredibili aſſiduitate urgeret hoc inſtitutum, audiuit ſaepius in occidentali Friſia pagos & oppidula eſſe, VVorcomum

mum, Staueram, Molqueram, qui uetere Frisica lingua intaminata uterentur, cuius magna esset affinitas cum Anglo-Saxonica, sed quae ab aliis Belgis non intelligeretur. Inflammatus studio haec penitus indagandi, relictis rebus & necessitudinibus in Frisiam illam interiorem contendit, ubi duos uertentes annos egit. Cum pectus implesset, cuius maxime cupidus erat, scientia, regressus ad Batauos bona quadam fortuna nactus est antiquissimum illum codicem Gothicum, qui argenteus dicitur, quoniam quatuor Euangelia litteris argenteis Gothicis in illo fuerunt descripta. Huic describendo, & dilucidando totum se dedit, breuique, cum id unice ageretur, tam longe in incognitae linguae cognitione processit, ut non longe post Gothicam hanc Euangeliorum interpretationem cum Glossario Gothico publici iuris faceret, cui adiiciebatur eorundem sacrorum librorum Anglo-Saxonica uersio uetusta, praesidio codicum manuscriptorum emendata; cum obseruationibus Viri doctissimi THOMAE MARESCHALLI. His omnibus linguis imbibendis cum satis diu insudasset, uidit, quod & priuatim apud omnes, quibus cum agebat de hac doctrina, tum publice testatus est, Gothicam esse matrem omnium ceterarum Teutonicarum linguarum, ex qua profluxerit uetus Cimbrica, monimentis Runarum posteris tradita, nec non Suetica, Danica, Norvvegica, Islandica,

landica, quibus illius plagae homines iſto tempore ſuas animi cogitationes explicarunt. Ex Anglo-Saxonica, quae & ipſa aut propago eſt Gothicae, aut illius ſoror germana, & eiusdem matris filia, manauit Anglica, Scotica, Belgica, Friſica uetus. Ex Gothica & Saxonica orta eſt Francica, quae Germanicae ſuperioris parens eſt. Harum ueterrimarum linguarum, & dialectorum, quae ex illis ductae ſunt cognitionem inuicto ſtudio, & incredibili aſſiduitate non primus tantum aſſecutus eſt, ſed & ſolus, uiam ſecutus nullius ante tritam ueſtigiis. Fuerunt quidem, qui ante FRANCISCVM in Anglo-Saxonica & Francica ſcrutanda non nihil curae ſtudiique poſuerunt, Cimbricae nauauit operam OLAVS VVORMIVS, Gothicam ante hunc, uti & ceteras iunctim, attigerat nemo, niſi quod de literis priſcis Gothorum commentariolum ediderat anonymi ſcriptoris, cum paucis quibusdam uerſibus Gothicis, ex antiquo illo VVerdenſi codice, qui argenteus uulgo audit, BONAVENTVRA VVLCANIVS, celeberrimus ſua tempeſtate Graecae linguae Profeſſor Lugduni Batauorum. Poſt IVNIVM, cum ille uiam muniiſſet ad has quatuor linguas longo ſitu ſqualidas & ſepultas, reuocandas in lucem rei litterariae Bono Vir pereruditus, GEORGIVS HICKERIVS, eccleſiae Anglicanae Presbyter, ſemitam a IVNIO factam ingreſſus inſtitutiones Grammaticas Anglo-Saxonicas

nicas & Gothicas conſcripſit, quibus adiecit RVDOLPHI IOANNAE Grammaticam Islandicam, & Catalogum ueterum librorum ſeptentrionalium, qui in Anglia habentur, quorum magna pars debetur FRANCISCO IVNIO. Is plurimas reliquit lucubrationes, quibus obſoletas has linguas explicauit, inter quas & Gloſſarium quinque linguarum, in quo illarum origines ex uetuſtis illis monimentis indagauit, quod Summe-reuerendus, & de Eccleſia & re litteraria praeclare meritus Epiſcopus Oxonienſis, IOANNES FELL, ὁ μακαρίτης, XI. uoluminibus deſcribi nitidiſſime curauit, ut typis mandaretur, ut & uberrimum commentarium in Tatiani Harmoniam IV. Euangeliorum Francicam, & alia plura, quorum ſeriem inferius uidebis, quae omnia legauit Oxonienſi Academiae cuius antiſtites nulli dubitamus operam daturos, ne tanto theſauro diutius careant patriarum antiquitatum ſtudioſi. Triennio antequam moriebatur IVNIVS in Britanniam remigrauit, ut plures ibi Anglo-Saxonicos codices, quos nondum triuerat in Cottoniana tamen, nonnullisque bibliothecis aliis ſeruari norat, excuteret, ut, quae moliebatur, quantum poſſet, abſolute perficeret, ac conſummaret. Biennium poſuit Oxonii in maxima dignatione apud omnes, ultimum uero uitae ſuae annum exegit VVindſorae apud ſororis ſuae & magno parente non minorem filium, ISAACVM VOSSIVM,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [69] - 49

qui, quamuis esset peregrinae conditionis, in Collegium tamen Canonicorum, ut loquuntur. VVindsorienſis ecclesiae singulari gratia Regis potentissimi Caroli II. magnae Eruditionis & ingenii fama & commendatione parta, suo fuit cooptatus merito, qui & ipse satis est functus ante paucos annos. Apud hunc IVNIVS annos natus octoginta sex, beatam tandem animam exhalauit placidissime, doctrina, uirtute morumque integritate uix ulli sui temporis secundus. Non tam morbo, quam senectute, cum cursum suum peregisset natura, solutus est. Firma fuit ualetudine, ut prosperrima per omnem aetatem sine ulla corporis offensione uteretur, quamuis totus dies a summo mane usque ad noctem incumberet litteris, & rarissime, nec unquam nisi negotiorum ratio id ei quasi imperaret, prodiret in publicum. Hora quarta matutina surgebat tam bruma, quam solstitio, stabatque ante pluteos in Museo, usque ad prandii horam, quae erat prima pomeridiana. In pluteis istis positi erant quinque Lexica illa, quae adornabat, & commentarii in ueteres scriptores Teutonicos. In haec referebat quicquid in illo, quem euoluebat, codice, dignum animaduertebat. Hora prima prandebat, sequente corpus exercebat, uel in area subdiuali ambulando contentius, aut etiam subsultim non nunquam currendo, aut si id non ferret, asperior tempestas, per omnes scalas in coenaculum

naculum aſcendendo ualetudinis tuendae cauſſa. Hora tertia recipiebat ſe in Muſeum, & interrupte ad octauam ueſpertinam penſum quaſi ſuum texebat. Tum coenabat, & tam in prandio, quam in coena libenter ueſcebatur. A coena cubitum ibat. Itaque nemo mirabitur IVNIVM, quamuis auia & tetra caligine, nec non uepribus & dumis horrida loca peragraret ſolus, tantum tamen ſpatii tam feliciter confeciſſe, & tot reliquiſſe uolumina rerum adhuc ignotarum plena, qui improbum illum laborem, & indefeſſum ſtudium cogitat quod conferebat in has lucubrationes. Eadem aſſiduitate fuit olim uerſatus in euoluendis Graecis Latinisque omnis generis ſcriptoribus, antequam Teutonicarum linguarum ſtudio ſe totum dediſſet, quos ipſe multos uidi in eius bibliotheca, compoſitos cum antiquis codicibus, & perpetuis ad marginem appoſitis annotationibus explanatos. Inde tanta latinae dictionis mundities in eius ſcriptis, ut nullo ſuorum aequalium diligenter & emendate ſcribendi laude inferior eſſet, inde & tanta locorum inſignium ex interioribus Graeciae & Latii penetralibus delibatorum copia fuit ei praeſto, cum in egregio hoc opere de Pictura Veterum elaboraret. In aſſiduitate tanta licet inuitus admodum auocaretur ab his, quibus inſudabat, curis, tam longe tamen aberat omnis moroſitas ingeniique

triſtitia, quae ſolet eſſe propria iis, qui a luce hominum & celebritate alieniores omne tempus & operam domi ſuae in doctrinae & litterarum ſtudiis conſumunt, praecipue ſenes, ut nihil ſene noſtro fieri poſſet ſuauius & facilius. Quicunque illum inuiſebat, mira quadam excipiebat comitate, doctisque & iucundis fabulis retinebat. Ipſe teſtis ei eſſe poſſum tantae humanitatis & dulcedinis, qui cum adoleſcens Amſterodami tum in ſororis aedibus degentem officii cauſſa tertio quoque diem ſalutarem, ſemper tanquam primae admiſſionis homo, non modo hilari uultu in Muſeum eius recipiebar, ubi per aliquot horas mecum confabulabatur cum de aliis rebus litterarum Sacra ſpectantibus tum praecipue de ſuis obſeruationibus, quibus uernaculae linguae origines, & uim ex illis curioſis membranis expiſcatus erat, ſed & iuuitabar quoties digrediebar, ut ſaepius ad ſe reuiſerem; Alii quoque hoſpites & aduentores, qui optimarum artium ſtudiis tenebantur, aeque faciles habebant aditus. Nec minor in illo morum erat integritas, & candor, ſingularisque pudor & ingenuitas, ac ſummum bene de aliis merendi ſtudium, ut ab omnibus, qui eius uirtutes non ignorabant, amaretur & coleretur tanquam homo ex aurei ſeculi reliquiis, qui non compendii ſpe, non aucupio famae, non ambitionis fumo ductus, litteras colebat, ſed ut patriae

&

& ſtudioſorum commodis ſeruiret. Statura erat humili, facie graciliore, ſed commoda membrorum omnium aequitate. VVindſoriae in arcis ſacello cathedrali, ut uocant, eſt conditus. Eius uero imago ſcite a praeſtantiſſimo pictore VANDIICKIO deſcripta, in Oxonienſi Academia eſt dedicata. Cui honorarium etiam tumulum cum elogio marmori inciſo benigna illa ſtudiorum mater poni iuſſit, monimentum ſui in tantum uirum ſtudii, & memoris legatorum animi, quod his addimus. Interea illa ſitus eſt IVNIVS, quam ſemper uiuus mire aeſtimauit, & omnibus in omni ſermone praetulit. Cum in hanc ſuam Britanniam ultimo tramitteret, credidit fidei cognati ſui Viri Nobiliſſimi FRANCISCI F. N. IVNII, qui tum temporis ab illuſtribus Groeningenſium Ordinibus ad conſeſſum potentiſſimorum Ordinum Foederatae Belgicae, qui Hagae Comitum eſt, delegatus erat, commentarios, de Pictura & ueteribus Artificibus, & illorum operibus. A parente uenerunt ad filium, cui, qui eos mecum communicauit, acceptos referes.

Lector! Verbo te monitum uolo, in anno natali Iunii GRAEVIVM fecutum eſſe perbreuem memoriam eius uitae, quae ad eum Groeninga erat miſſa, non uiſo Epithaphio Oxonienſi. Si uerior in hoc eſt deſignatio illius anni, ut uidetur probabi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [73] - 53

lior esse, qui ex Isaaco Vossio, aut ipso Iunio ante mortem eius haec nosse poterant, non natus fuit octoginta sex, sed octoginta octo, cum obiret. Haec isthic notare uisum est, ne te illa sententiarum offendat diserepantia.

EPITAPHIVM.

FRANCISCO IVNIO
FRANCISCI IVNII BITVRIGIS FILIO
NOBILITATE GENERIS INTEGRITATE
MORVM
ET
OMNIGENA DOCTRINA CONSPICVO VIRO
NATO HEIDELBERGAE ANNO SALVTIS
M. D. LXXXIX.
QVI PER OMNEM AETATEM
SINE QVERELA ET INIVRIIS CVIVSQVAM
MVSIS TANTVM ET SIBI VACAVIT
VNIVERSITAS OXONIENSIS
CVI
SCRIPTA ET MONVMENTA LABORIS SVI
MORIENS PENE NONAGENARIVS
COMMISIT
IN GRATI ANIMI SIGNIFICATIONEM
LVBENS MERITOQVE
TITVLVM PSVIT
MDC. LXXVIII.

SCRIP-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [74] - 54

conferatur index MSorum Angliae

SCRIPTA:

Quae partim iuris publici fecit, partim Academiae Oxonienſi commiſit, ſunt ſequentia.

Obſeruationes in VVillerami Paraphraſin Francicam Cantici Canticorum, Amſtelodami 1655.

Gloſſarium Gothicum, Dordraci 1665. in 4.

De Pictura Veterum libri tres, tot in locis emendati, & tam multis acceſſionibus aucti, ut plane noui poſſint uideri, accedit Catalogus adhuc ineditus Architectorum, Mechanicorum, ſed praecipue Pictorum, Statuariorum, Caelatorum, Tornatorum, aliorumque Artificum & Operum quae fecerunt, ſecundum ſeriem literaum digeſtus. Roterodami 1694. in Folio.

Gloſſarium V. Linguarum Septentrionalium. Hoc referente Graeuio in Vita Iunii, deſcribendum curauit Io. Fell, ὁ μακαρίτης, Antiſtes Oxonienſis, XI. Voluminibus, quae ſunt excudenda ſumtibus Academiae Oxonienſis auſpiciis Gilberti Ironſide S. T. P. Coll. VVadham-Praefecti, & Academiae Procancellarii.

Fedae Hiſtoria Eccleſiaſtica, notis Iunii illuſtrata.

Chronologia Saxonica, collata cum MS. & additione trium ſchedarum auctior.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [75] - 55

Lambardi Latina emendata, ac uariis notis illuſtrata.

Eadmerus ex editione Seldeni. Quaedam in Seldeni notis ac ſpicilegio emendata.

Speelmanni Pſalterium Saxonicum interlineare, collatum cum MS.

Douglas's Translation of Virgil VVith marginal Notes.

Chaucerus per totum notis quibusdam illuſtratus.

Caedmonis Paraphraſis cum coniecturis extemporaneis & indiculo.

Somneri Lexicon Saxonicum cum uariis Lectionibus ex MS.

Multi praeterea Scriptorum Anglo-Saxonicorum ueteres Codices, & multorum ἀπόγραφα, quae ipſe Iunius manu ſua ex ueteribus membranis excuſſit & deſcripſit, in illa Bibliotheca Oxonienſi cuſtodiuntur, quorum indices habes in Appendice Cl. Hickeſii ad Grammaticam Islandicam pag. 139. ſequent.

In VVillerami Paraphraſin Cantici Canticorum notae Franciſci Iunii longe auctiores.

Tatiani Monoteſſaron cum Praefatione Victoris Epiſcopi Capuae, cum Annotationibus ampliſſimis Iunii, in quibus comparantur cum Francica, Gothica & Anglo-Saxonica.

Vocabularius, qui inſcribitur Teutoniſta edit. 1475. in Fol. interſperſis per totum notis Iunii.

Eius

Eiusdem auctarium notarum in Tatianum, iustum Volumen in 4.

Otfridi Euangeliorum liber, nitidissime scriptus, cum indice Capitulorum, a Iunio parante nouam editionem.

Annonis Archiepiscopi Colonienſis Vita, Rythmice.

Glossarium Theotisco-Latinum, cum Notis secundum literas Alphabethi, in diuersis fasciculis: A Chartis 27. ex Bibl. Vossii. B. Chartis 56. ex eadem C. Chartis 22. cum Appendice ex eadem. D. Chart. 43. cum Appendice. E. Chart. 20. ex eadem. F. ex eadem penu libraria descripta.

Dictionarium Francicum mutilum, carens initio A. B. C.

Dictionarium alterum Francicum. Haec duo in fasciculis sunt. Alterum etiam plenum.

Plures alios Veteres Francicos libros manu sua descriptos, & Frisicos reliquit Iunius Bibliothecae Oxonienſi.

Leges Frisiorum, Cod. M. S. cum notulis quibusdam in margine, Iunii.

Liber Legum Frisicarum impressus, in fine mutilus, cui ex Vbbone Emmio Iunius nonnulla praemisit, cum ex eiusdem notis adsperſis passim margini.

Ius Comitatus Frisiae ex Cod. VVerneri Emmen, & aliae leges Frisicae ex Simonis Gabbamae MSS. cum notis Iunii.

Conf. ipse Iunius de Pictur. Veter. in Vita a Graeuio de scripta, B. Tenzelii Monatl.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [77] - 57

Unterredungen Mens. August. Sept. & Oct. An. 1695. & Clarmund. Lebens Beschreibungen Cent. 2. pag. 38. seqq.

VI.

RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS

FVNVS

CELEBERRIMI POLYHISTORIS

CHRISTIANI FRIDERICI FRANCKENSTEINII,

Latinae Linguae & Historiarum Professoris Publici, Facultatis Philosophicae Senioris, Alumnorum Electoralium Ephori, Maioris Collegii Collegiati & Academiae Decem-Viri,

Solemniter ex Domo Principum Efferendum,

Proceribus Ciuibusque Academicis sequentibus indixit.

OLiuam Christiani Veteres coemeterialibus passim tabulis affigebant, teste Paullo Aringhio, qui post Antonium Bosium, Ioan. Seueranum aliosque Scriptores, cum antiqua Christianorum reliqua, tum Martyrum cumprimis monimenta detexit in Roma subterranea, & conspicienda omnibus propinauit. Eiusdem arboris ramusculos (ut in rem statim ipsam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [78] - 58

ipſam ueniamus) ſibe iure quodam uendicat ſepulcrum celeberrimi noſtri Polyhiſtoris FRANKENSTEINII, ſiue ſuauiſſimum FRIDERICI, quo inſignitus erat, nomen, ſiue placidum eius pacisque ſtudioſiſſimum ingenium, ſiue uictoriam, pacemque in Chriſto nunc obtentam, ſeu tempus denique emortuale contemplemur. Viuis enim exceſſit ipſis Calendis Nouembris, ipſaque adeo Paraſceue Feſti Euchariſtici, quod pro reddita Imperio Romano-Germanico Pace Sereniſſimus Saxoniae Elector, idemque Nutritius noſter indulgentiſſimus ſolemniter celebrari pro ſumma illa & in DEVM pietate & in ſubditos prouidentia uoluerat. Pacis autem hieroglyphicum ſemper fuit oliua, quam & Patres patrati ac feciales, pacisque Oratores geſtare manu conſueuerunt; cuimodi in ſenſum & oliuam illam abs columba Noachi redeunte allatam Tertullianus trahit, lib. II. de Baptismo c. VIII. pie ac pulchre ſic differens: *Quemadmodum poſt aquas diluuii, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptismum (ut ita dixerim) mundi pacem coeleſtis irae, praeco columba terris annunciauit dimiſſa ex arca & cum olea reuerſa: quod ſignum etiam apud Nationes praetenditur. Eadem diſpoſitione ſpiritualis effectus terrae, id eſt carni noſtrae emergenti de lauacro, poſt uetera delicta columba ſancti ſpiritus aduolat, pacem Dei adferens, miſſa de coelis, ubi Eccleſia eſt arca figura-*

figurata, Sed Oliuae id genus ſepulcralis uicem obtinere nunc commodum poteſt ſcitiſſima illa inſcriptio beatiſſimis τῦ πάνυ FRANCKENSTEINII manibus conſecrata a dilectiſſimo eius Genero Venerabili, inquam, atque edecumato Theologo D. IO. OLEARIO. Neque alii non erunt, ingenio atque eloquio mirum quantum ualentes, qui paciferae, ut Virgilius uocat, Oliuae ſurculos affigere FRANCKENSTEINII excellentiſſimi tumulo non pigrabuntur. Vita interim Viri meritisſimi a Nobis quoque, pro eo ac ſuetum eſt, perenni uiuae memoriae tabulis inſcribenda eſt. At utinam hiſtoriam uitae ſuae ſtylo FRANCKENSTEINIANO, h. e. terſo ac polito (talem enim ex merito cenſuit Buchnerus, Vir elegantiarum latinarum conſultiſſimus) conſcriptam reliquiſſet incomparabilis Hiſtoricus! Ita enim & faſce aliquo leuaremur nos, & laudes tam egregii Varronis non feſtinatis adeo ac minus elaboratis uerbis deterrentur. Faciemus tamen noſtro officio, quantum pote, ſatis, perſuaſiſſimi apud animum, diſertiſſimos FRANCKENSTEINII praecones deincipe tempore haud defuturos. Patrem ſortitus eſt Virum nobiliſſimum ac conſultiſſimum CHRISTIANVM FRANCKENSTEINIVM, I.V.D. Patronumque cauſarum famigerabilem, & Senatorem Reip. Lipſicae deſignatum, eumque ex PAVLLO FRANCKENSTEINIO, Sca-

Scabino ac Conſule huius urbis ampliſſimo, & femina ex celebri DISTELMEIERORVM proſapia deſcendente progenitum; & matrem, feminam emendatiſſimam NICOLAI VOLCKMARI Mercatoris primarii & MARIAE ROTHAVPTIAE filiam. Natus autem eſt hac in urbe d. XX. Auguſti Anno M. DC. XXI. & CHRISTIANI FRIDERICI nomine ad fontem ſalutis mox ſignatus, non alia, opinor, fini, quam ut Chriſtianam pacem per uitam omnem ſollicite ueneretur. Incidebat enim eius natiuitas in id temporis, quo poſt pacem a Pragenſibus, ut ſic dicamus, deſeneſtratam bellum illud Bohemico Germanicum, quod in annos usque XXX. extractum eſſe nemo ignorat, pede impigro conſequebatur. FRANCKENSTEINIVS interim, uti diuina praeditus erat indole, ita fideliſſimos duces nactus M. ADAMVM ROTHIVM, S. S. Theolog. Baccalaureum, & M. HIERONYMVM RECKLEBENIVM, inſignem Organi Ariſtotelici Profeſſorem, ad ſtuporem usque in literis artibusque proficiebat. Anno enim ſexto ac decimo uix completo laurum Philoſophiae primam referebat, nec lectorem tantum diebus Cerealibus, ſeu ut communiter uocant, Caniculariibus uicarium agebat, ſed & ſub clariſſimis Magiſtris GVNZELIO, KLINGERO & LANGIO, poſtea Medicinae Doctore ac P. P. quantum in Philoſophia & arte diſputandi prae-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [81] - 61

praeſtitiſſet, publice nec ſine meritiſſimo Muſarum applauſu oſtendebat. Solidae enim ac minus uſitatae eruditionis cupidine ſemel incenſus, neque mortibus Parentum cariſſimorum (mater enim optima An. XXXIII. Parens nobiliſſimus Anno XXXVII. his terris eximebatur) neque calamitatibus aliis reuocari ſeſe ab inſtituto ſuo patiebatur, perrumpendum per aſpera ad aſtra exiſtimans, & quod Albis ſubinde ſtudiorum inſcribebat, tentandam eſſe uiam, qua ſe quoque humi poſſit tollere. Maiora ſtudiorum capeſſiturus praemia Triumphiros Profeſſorii Ordinis celebratiſſimos CONRADVM BAVARVM, ANDR. CORVINVM, & quem patris loco uenerabatur, PHILIPPVM MVLLERVM ſectabatur, a Suffenis aliis toto, quod aiunt, coelo diſtans, qui, ſapere ſibi ſolis cum uideantur, publicas ſusque deque habent acroaſſes, & loco percae tandem, Heidero iudice, ſcorpionem capientes mirificas uel in Eccleſia uel in Republ. turbas mouent. Reportata ſumma Philoſophiae laurea, non tam ſe a laurea, quam lauream exornari a ſe uoluit, turpiſſimum ratus Magiſtri gaudere titulo, & non omnia reapſe Magiſterii puncta adimplere. Diſputationibus igitur binis, quarum alteram de Luna, alteram de maculis ſolaribus conſcripſerat, Magiſtrum ſeſe non erubeſcendum, ſed longe omnium digniſſimum approbauit. Patefacto ſic ad altiora tramite pro Themide,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [82] - 62

de, cuius Sacerdotem se Parens profitebatur, Eusebien eligebat, & fama celeberrimae Theologorum bigae, IACOBI MARTINI, & IOANNIS SCHARFFII inflammatus, Vittembergam concedebat, splendidissimis horum luminum radiis se conuestiturus. Nec spe sua excidere sciuit FRANCKENSTEINIVM, incredibilis Theologorum laudatorum humanitas. Vterque enim Eum amauit ceu filium, & rerum sacrarum notitia, non tralatitia imbuit, cuius rei testis hodieque est disputatio illa de Principio fidei sub acutissimo MARTINI habita. Ceterum quamuis in exteras etiam Academias excurrere induxisset animum, a calamitatibus tamen bellicis ad incitas propemodum redactus, desistere ab illo proposito cogebatur. Cum enim ab Arctoo milite obsideretur haec Lipsia, fortunarum suarum ingens naufragium patiebatur, mola Thomana in cinerem redacta, hortoque & aedibus appertinentibus miserandum in modum deuastatis. Duro itaque necessitatis telo urgente non Tertiatum tantum & Conrectoratum Scholae Nicolaitanae, sed & functionem templi Sabbathicam exambiit. His muneribus potitus, enunciari non potest, qua dexteritate, qua fide per aliquot annos, ea obierit. Nec minorem ex facultate Philosophica, cuius in Senatum post edita rite Specimina Anno XLIV. cooptabatur laudem reportabat. Nam & examinatoris partes

tes

tes expediebat egregie, & Decanatum Anno L. sibi collatum, ea, qua par, prudentia administrabat. Neque enim Theologum tantum examussitatum moliebatur FRANCKENSTEINIVS, sed Philosophum pariter ac Philologum nulli secundum. Quam in rem non parum faciebat, illustre illud COLLEGIVM GELLIANVM a RAPPOLTIS, STRAVCHIIS & ZIEGLERIS (at quantis Viris!) inchoatum feliciter, & per BORNIOS, SCHERZEROS, ALBERTOS & OLEARIOS, quibus & nos interesse non diffitemur, hucusque continuatum & deinceps quoque in Bibliotheca publica, bono cum DEO, continuandum. Nam uti proponi in illo argumenta ex amplissimo rerum scibilium circulo non ignorabat, ita adiungi Gellianis desiderabat, cum maxime, uotique sui damnatus, longe plurimos eosque selectissimos in mellificium illud fauos congessit, Senioris quippe & nomine & munere in laudatissima hac societate mactatus. Nec contineri intra patriae pomoeria potuit, tam rari & cari ingenii celebritas. Cum enim fatis concessisset CHRISTIANVS GVEINIZIVS, Gymnasiarcha Hallensis & Panepistemon sine pari, FRANCKENSTEINIVS noster dignissimus, praeter ceteros uisus est Aeneas, qui nauem illam, excusso Palinuro, dirigeret. Et uero direxit feliter, seque successorem GVEINTZIO non imparem tot praeclaris doctrinae omnigenae

genae ſpeciminibus demonſtrauit. Sed Patriae cum primis Academiae deſtinatum fuiſſe hoc coeli depoſitum euentus docuit. Vocato enim An. LII. ad Iuridicam Ienenſium exhedram IOANNE STRAVCHIO, Hiſtoriarum ac Latinae Linguae Profeſſore in hac Alma celeberrimo, non alius ipſi ſucceſſor datus eſt, niſi amiciſſimus Gellianus, FRANCKENSTEINIVS; atque uti theatrum ſic nactus eſt ingenio ſtudiisque ſuis quam conuenientiſſimum, ita Roſcium in hoc ad extrema usque ſe ſtitit, quin Lipſiae ſuae id fuit, quod Lipſius & Merula Lugduno Batauorum, Boeclerus Argentinae, & Ienae uicinae Boſius. Verum ut uara trahit uibiam, ſecundum paroemiam, ita hoc quoque publicum docendi munus decora & axiomata alia exceperunt. Nam ut de Procancellariatu ac Decanatu, quibus uice plus ſimplici laudabiliter functus eſt, nihil iam dicamus, purpuram regni huiuſce literarii geſſit Anno LXII. theſaurosque politicae prudentiae reconditos ad ſalutem Academicam promouendam depromſit. Idemque fecit dexterrime, ex quo poſt adeptam Alumnorum Electoralium Ephoriam & Decemuiratus Academiae, & Facult. Philoſophicae Senioratus fuit ipſi delegatus. Salutem namque Academiae legem ſupremam eſſe exiſtimans, non minus pro eius & facultatis, quam pro Stipendiatorum ſibi con-

creditorum commodis pernox perdius excubauit, digniſſimus id propter, qui cum Bornero, Camerario, Dreſſero, Friderico, Müllero, aliisque meritiſſimis Viris memoriae indelebilis fano inferatur. Sed haec attigiſſe ſaltem ſufficiat. Neque enim deerunt facundiſſimi Oratores, FRANCKENSTEINII merita ad ſeram usque poſteritatem tralaturi. Veniendum nunc ad thalamos, antequam ad tumulum ipſum accedamus. Prima uxor Anno L. ei contigit Virgo proſapiae ac Virtutis probatiſſimae MAGDALENA, GOTHOFREDI GROSII, Senatoris prudentiſſimi & Bibliopolae apud Lipſienſes primicerii filia, eaque ſuauiſſima & concordiſſima uitae conſors, ex qua quinque liberos ſuſtulit, tres uidelicet filios ac binas ſexus ſequioris, ſed non niſi duos uidit ſuperſtites, CHRISTIANVM FRIDERICVM, Iurium Cultorem ſolertiſſimum, & CHRISTINAM MAGDALENAM Viro nobiliſſimo Excellentiſſimo, conſultiſſimoque FRIDERICO GEISLERO I.V.D. & P.P. nunc beato nuptui datam, & duarum ex eo filiarum ROSINAE MAGDALENAE & DOROTHEAE ELISABETHAE matrem factam. Altera uero Anno LX. magnarum Virtutum femina ELISABETHA, nata MERCKIA, & L. PHILIPPI MVLLERI, celeberrimi Mathematum in hac Philurea Profeſſoris, Maioris Collegii Collegiati, Alu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [86] - 66

Alumnorum Electoralium Ephori, Academiae Decemuiri, nec facultatis tantum Philosophicae, sed & totius Academiae Senioris undiquaque optime meriti, relicta uidua, quae non incredibili tantum fide & prudenti rei Oeconomicae administratione, sed unici quoque filii GOTHOFREDI CHRISTIANI in alma Giessensi studiorum gratia nunc commorantis, ingentemque de sespem ostentantis prouentu, coniugium isthoc secundum, uere secundum reddidit. Hos thalamos autem excepit tumulus, sic tamen, ut lentus admodum morbus eum antegrederetur. Annus enim propemodum est, ex quo conflictari cum tussi angustiaque spiritus occoepit Vir laudatissimus. Quorum alterum illud malum cum in siccum tandem & conuulsiuum astma degeneraret, non retardare somnum, & uires depopulari sensim non potuit. Accessit tandem & tumor pedum, qui magis magisque increscens, respirationem difficiliorem longe reddidit, imo spiritum tandem ipsum intercluſit. Etenim nec Medicorum optimorum uigilantia nec exquisitissima Maritae cura alleuamenti quicquam nedum sanitatem reducere ipsam poterat. FRANCKENSTEINIVS uero, quo minorem sibi uitae huius retinendae spem supereſſe animaduertebat, hoc citius ac diligentius de altera uita cogitabat, nobisque aduocatis, quibus curam animae suae commiserat, post exomologesin

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [87] - 67

non ſemel factam ſacra myſteria tanquam uitae & pacis aeternae pignora iterum atque iterum praebere ſibi petiit. Et ecce pacem tandem in Chriſto (nam hic pax noſtra, dicente Apoſtolo) impetrauit eopſe die, qui Sacra illa pro redonata pace Euchariſtica quam proxime antecedebat. Dicendum ergo de FRANCKENSTEINIO noſtro, quod Hoſeas c. XIV. de reſipiſcentibus & electis in populo pronunciauit: Et erit quaſi oliua gloria eius. Oliua enim perpetuae uiriditatis eſt in uita altera; neque fama eius non oliuae inſtar, quoad aliquis & literis & literatis honos conſtabit, florida in his terris ac fructifera perennabit. Faciundum interea & nobis, ut ſepulcrum celeberrimi huius & uere CHRISTIANI FRIDERICI uiridantibus oleae ramis ex ornetur; id quod factum tum a Vobis interpretabimur, ſi iuſta ei poſt horam I. frequentia, quanta poteſtis, maxima (tantam enim & Viri merita exigunt, & nos a uobis expoſcimus) perſolueritis. P. P. Lipſiae D. X. Nouembr. Ann. Aer. Chr. M.DC.LXXIX.

SCRIPTA:

Notae in Beniam. Prioli Hiſtoriae Gallicae Lib. XII.

Diſputationes

De Religione Romanorum ex Gell. Lib. II. Noct. Attic. c. 28.

De Terrae motu ex eodem.

De

De Ephialte seu Incubo.
De Philostorgia.
De Antipatia Nationum.
De Consule Romano.
De Consiliario.
De ratione exigendorum Tributorum.
De Aerario Romano.
De Epistola Paulli ad Philemonem.
De nouo Anno.
Iusta anniuersaria Memoriae IOANNIS GEORGII I. Elect. Saxon.

VII.

VITA THOMAE HOBBESII, Angli,

Philosophi Malmesburiensis famigeratissimi, descripta ab Anonymo.

THOMAS HOBBESIVS natus est *Malmesburiae agri Wiltoniensis*, Nonis Aprilis, anno a partu Virginis Millesimo Quingentesimo Octuagesimo octauo; cuius Mater Hispaniae classis metu perculsa, quae tanquam portubus nostris imminens fama passim differebatur, ipsum, puellum tamen, quod euentu patuit, satis uiuacem, praematuro partu enixa est. Patrem nactus est *Concionatorem*, qualem tunc ferebant tempora, qui leuiori doctrinae armatura instructus, *Orationes publicas*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [89] - 69

blicas & quas uocant *Homilias*, satis apte populo praelegere poterat.

Quadriennis factus uernaculis literarum elementis operam dedit: octennis doctiorum linguarum tyrocinium posuit sub ROBERTO LATIMERO *Oxoniense, Malmesburiae* literas docente; qui quod in puero docilitas tanta, quanta in nullo alio ostenderetur, & simulacris animi & praestantis ingenii illustria signa perspicue cernerentur, illum praecipue in sinu fouit & supra aequales excolere & incitare solitus est. Tantos autem iam adhuc in ludo literario degens in literatura tam Latina quam Graeca progressus fecit, ut *Euripidis Medeam* simili metro Latinis uersibus eleganter expresserit.

Anno ∞.Ioc III. ad percipiendum uberiorem ingenii cultum, *Oxonium* missus est, in aulam Beatae Mariae Magdalenae, sub Praefecto tunc temporis IACOBO HVSSEE Legum Doctore, postea equite aurato & Cancellario Sarisburiensi, bonorum ingeniorum fautore summo. Eum ibi morantem FRANCISCVS HOBBIVS auunculus *Malmesburiae* Altermanus (qui summus est eius loci Magistratus) suis impensis aluit, qui & postea moriens, modicum illi fundum testamento legauit. Post quadriennium autem usitato Philosophiae cursu iam emenso, gradu Academico quem Baccalaureatum appellant, ornatus est. Anno ∞.

Ioc

Ioc VIII. Interea *Guilelmus Cauendish Baro de Hardvvick* ac (non multo post) *Deuoniae* Comes, aliquem qui filii natu maximi studia & mores regeret, diligenter conquisiuit; qua in re uirum annis pene aequalem, ideoque ob morum similitudinem gratiorem futurum, quam aetate & moribus grauem, praeoptauit. *Hobbius* itaque iam uicennis, literis commendaticiis *Ioan. VVilkinsoni* aulae B. *Magdalenae* tunc Praesidis adiutus, huic muneri obeundo in illustrem illam familiam adscitus est. Eo loci nobilissimi iuuenis latus assiduo texit, atque artibus tanto genere dignis quibusque ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, instituit; nec solum in studiis grauioribus, sed etiam in uenatione, aucupio, ceterisque innocuis exercitiorum uoluptatibus indiuiduus comes perpetuo adfuit. Quare summa morum comitate, ingenii elegantia, animi prudentia, tantum sibi tum patris & filii, fauorem concilliauit, ut iuueni *Galliam Italiamque* peregre ∞. Ioc X. adituro dignus uisus est qui inseruiret.

Versatus autem aliquamdiu illis in regionibus doctissimorum hominum copia florentissimis, luculentis naturae muneribus uenerandis antiquitatis Monumentis & ipsa populorum indole celeberrimis, solidam demum Sapientiam (qui uerus est peregrinandi finis) secum domum retulit.

Reuersus itaque cum iam *Candisianae*

gentis munificentia tempus atque otium ipsi suppeteret priora studia respiciendi, magno literaturae Academicae fastidio affici cepit; utpote quam affectata ambitione efformatam ac ueluti personatam iudicauit; nec apud prudentes adeo in pretio habitam, nec ad uitae ciuilis usus, ut specie prae se ferret comparatam uidit. Non placuerunt illi Logicae illae Metaphysicaeque argutiae, tanquam parum in se bonae frugis habentes, & fouendis solum clamosis sophistarum contentionibus natae; Ethicam autem tanquam uulgi potius opinionibus & imaginariae uirtutis mediocritati quam ueritati innixam; Et Physicam quae in Scholis docetur quaeque sola pene *Aristotelica* est, tanquam nimis umbraticam, & potius super ingeniorum technis quam experimentis naturae fundatam contempsit. Aliam itaque Philosophandi rationem sibi ineundam ratus, lectioni ueterum Philosophorum, Poëtarum, Historicorum tum e Graecis tum e Latinis diligenter incubuit, & ex eorum thesauris quid in suos usus faceret, accurate deprompsit. Non autem, quod plerisque in more positum est aut ueterum placitis ingenium suum mancipauit, aut intra Scholasticorum terminos circumscripsit; aut seipsum quasi unicum humanae rationis exemplar proponens, & reconditis quibusdam notionibus proprio de cerebello erutis, licet rerum naturae & experientiae

rientiae prorsus contrariis scenicam quandam conflauit Philosophiam, aut triobolaribus experimentis tempus dicauit uitium huius aeui literatis nimium familiarae. Sed ex uniuerso scientiarum orbe amplissimas opes in aerarium suum comportauit, & fidae rationis auspiciis sapientissime digessit. Illis temporibus in amicitiam receptus est *Francisci Baconi Verulamii* Baronis & Vice-Comitis *Sanct. Albani*, magni *Angliae* Cancellarii & Philosophiae Atlantis, qui illius consuetudine magnopere delectatus est; & eo ipso in nonnullis scriptis suis Latine uertendis adiutus, qui neminem cogitata sua tanta facilitate concipere atque *Thomam Hobbium* passim praedicare solitus est. Carus etiam fuit *Eduardo Herbert* Baroni de *Cherbury* Philosopho & Historico summo & scriptis claro coluit quoque *Ben. Iohnsonum* Poëtam laureatum, Anglicani Dramatis facile Principem; & *Thucydidem* suum antequam Prelo committeretur, eius examini & iudicio subiecit. Ad eiusdem quoque operis censuram in partes uocauit amicum summum *Robertum Ayton* Equitem auratum, Scoto-Britannum, *Annae* Reginae e Secretis, uirum Poëси celebrem & styli arbitrum elegantem.

Duobus interea nobilissimis funeribus lugubris facta est *Candisiana* domus, Anno ∞. Ioc XXVI. GVILELMVS DEVONIAE Comes ad superos migrauit; quem biennio

Signatur: Leibn. Marg. 148, [93] - 73

poſt morte nimis immatura, inſecutus eſt filius, cuius obitus ut bonis omnibus luctuoſus, ita HOBBIO triſtiſſimum reliquit deſiderium magnifici ſtudiorum Patroni ac Maecenatis. Tanto itaque dolori cum ſolatium inueniri uix poſſit, diuerticulum ſaltem quaeſiuit Hobbius; quare relicta patria in *Galliam* profectus eſt, conditionem ferente nobiliſſimo Viro GERVASIO CLIFTON, (antiqua eſt ſumme generoſa eo nomine in agro *Nottinghammienſi* familia) ut filio peregre ituro adeſſet itineris ſimul dux & ſtudiorum informator. Illo tempore annum iam quadrageſimum praeteruectus, Euclidi operam dare cepit, non tam demonſtrationum materia allectus, quam perſpicuitate, certitudine, & indiuiſa rationum ſerie delectatus. Non enim mathematicas artes admiratus eſt uir perſpicaciſſimus, ob laterum & angulorum affectiones, aut numerorum, linearum, ſuperficierum corporumue mutuas inter ſe proportiones (de homogeneis intelligo quantitatibus) ſubtiliter indicatas; quippe iſtiusmodi omnia a communi uita remotiora facile animaduertit; licet ad praxin relata uſus non adeo contemnendi; ſed quod methodo ipſis propria intellectus ad rerum cognitionem optime duceretur, atque difficilia inueniendi, uera aſſerendi, falſa redarguendi certiſima ratione imbueretur. Quare illi uiae ad ſcientias inpoſterum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [94] - 74

rum promouendas insistere decreuit; pertaesus Philosophiae uulgaris, quae infidis principiis male compaginatas notiones ita superstruxerat, ut tota aedificii moles ruinam factura palam uideretur, cum interim artes illae Mathematicae certis & in experientia communi fundatis principiis innixae multa in lucem inuenta protulissent, humano generi utilia, sibi ipsis glorioſa. Dolendum tamen nobile hoc ingenium, eodem quo & magnum *Scaligerum* infortunio laborasse, quod Mathematicis studiis, quae nisi in teneris animis, altas radices uix agunt, serius paullo animum adiecit, aliter procul dubio ob praeclara inuenta *Musis* & *Apollini* Hecatombas immolasse potuisset; aut certe, quod summe optandum foret, aduersariis minorem ipsum uellicandi ansam praebuisset.

Anno ∞. Ↄ c XXXI. in *Deuoniae* Comitum familiam reuocatus est a Comitissa uidua, ad filium iam tredecennem in literis instituendum. Huius itaque curam pro grato erga paternos manes affectu libentissime suscepit, & singulari cum iudicio per amoena studiorum ad rerum cognitionem perduxit; quem hodie in uiridi senecta constitutum illustris familiae prudentissimum patrem aetas nostra merito ueneratur.

Circa haec tempora in lucem prodiit primus Hobbiani ingenii partus Nobilissima illa Thucydidis e Graeco in Anglicanum sermo-

sermonem uersio ceteris omnibus quae gens nostra unquam uidit antiquorum interpretationibus iure anteferenda; quam Domino suo Deuoniae Comiti dicauit, licet Patri defuncto destinatam Historiam illam charta Chorographica *Graeciae* propria manu descripta ornauit adiecto etiam indice Geographico, & dissertatione de uita & scriptis Thucydidis, non tam ex Marcellino uitae Thucydideae scriptore sumpta, quam proprio iudicio conscripta.

Tunc etiam prodiit elegans illud Poëma de *Mirabilibus Pecci*, qno nomine uenit *Derbiensis* agri pars Occidentalior, regio montosa atque aspera sed nonnullis quae rariora habentur celeberrima; ubi, ut mittam aedificia antiqua & noua, magna artis opera, *Pecci* castrum & *Chatshvvorthum* nobilem *Deuoniensium* Comitum sedem; inter naturalia eminent thermae corpori humano saluberrimae; metallifodinae plumbo & antimonio foetae, & subterranei specus, quorum unus *(honorem praefabor) Diaboli podex* nominatur, de quo, siue ueri ignorantia, siue mentiendi libidine, multa fabulosa circumferuntur.

Anno ∞. Io c XXXIV. cum Domino in *Galliam* transiit, ubi *Parisiis* degens, praecipuam naturali Philosophiae promouendae operam impendit. Quum autem ex iis quae longo rerum usu, atque acrimentis studio compererat, animo alte defixa insedisset sen-

ſententia, in Natura omnia mechanice fieri, & ex una materia uariis motuum generibus & menſuris agitata uniuerſa rerum phaenomena exurgere, tam quoad animalium ſenſationes, quam ceterorum corporum afflictiones ideo naturae motus indagandae ante omnia incubuit, communicatis aſſiduo cogitatis cum *Mario Merſenno*, ex *Minimorum* ordine, uiro eximie bono, docto, curioſo, & in illuſtrandis ſcientiis Parario & Proxeneta indefeſſo; qui etſi propriis ſcriptis inuentisque non exiguam ſibi laudem comparauit, tamen in acuendis aliorum ingeniis, & faciliori reddendo commercio Philoſophico, ceteros huius ſaeculi omnes ſuperauit.

Poſt haec HOBBIVS in *Italiam* profectus, *Piſis* quotidiana conſuetudine uſus eſt GALILEI GALILEI Lyncei, Mediceorum Syderum & Solarium macularum inuentione clari; qui etſi prae aliis ad res Aſtronomicas impetu quodam ferebatur, in Philoſophia, tamen naturali magna cum laude uerſatus eſt, & in naturam motus (cui fidem faciunt ſcripta Cedro digniſſima) ſupra Antiquos longiſſime penetrauit. Amicitiam inter ipſos conciliauit idem ſtudiorum curſus, & ſumma morum ac temperaturae ſimilitudo; quae fortaſſe communis infortunii cauſſa, ut uterque acerrimis Eccleſiaſticorum cenſuris uexaretur; quo iure, quaue iniuria, non eſt meum pronunciare.

Anno

Anno ∞. Iↄ c XXXVII. cum Patrono in Patriam reuerſus, efflagraturi paullo poſt belli inteſtini ſcintillas animaduertere ſibi uiſus eſt. Nempe *Scoti* depulſis Epiſcopis, in Regiam Maieſtatem inuolabant, fauentibus interim quipusdam quos uocant *Miniſtros*, Anglis; turpiſſimis ſeditionum flabellis. Quare huic malo, quantum in ſe erat, occurendum ratus; tum pro ſuo in Regem officio atque obſequio, tum pro decumano, quo ſemper in Democraticos odio laborauit, libellum ſcripſit Iuris Regii aſſerendi gratiam, qui poſtea in Librum *de Ciue*, & tandem in *Leuiathanem* excreuit. Eius autem ſumma haec fuit, ſine Pace poſſibilem etiam incolumitatem, ſine Imperio pacem, ſine Armis Imperium, ſine opibus in unam manum collatis nihil ualere arma, neque metu armorum quicquam ad pacem profici poſſe in illis, quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum; nempe dum conſenſum non ſit de iis rebus, quae ad ſalutem aeternam neceſſariae creduntur, pacem inter ciues non poſſe eſſe diuturnam.

Interea, Coelo criminibus noſtris infenſo, & fatali gentis noſtrae in fortunio, gliſcebant indies infelicia animorum diſſidia. Tertio Nonas Nouembris Anni ∞. Iↄ c XL. indictum eſt generale ordinum regni concilium, quod apud nos *Parlamentum* uocatur, ubi in ipſis initiis ex ingenti partium aeſtu,

aestu, ne dicam furore quodam Ciuilis belli miserias imminere praesentiens, aliosque qui ius Regium propugnassent libertate mulctatos uidens, patriam sibi intutam ratus *Parisios* se in quietum studiorum secessum recepit.

Florebat tunc temporis urbs illa ingenti doctissimorum hominum frequentia, qui immortali Eminentissimi Cardinalis RICHELII Munificentia permoti, ad artes ac scientias & unumquodque politioris literaturae genus illustrandum strenue contenderunt. Cum illis solitus est quotidianos sermones conferre atque arduis in Philosophia & Mathesi problematis ingenium exercitare, naturam uariis experimentis torquere, rerum principia indagare, inuenta ratiociniis stabilire. Prae caeteris autem arcta necessitudine iunctus est MARINO MERSENNO O. M. & PETRO GASSENDO Mathematum Professore regio, uiro insigni doctrina & suauissimis moribus exculto, & quod honoris caussa pronunciare licet, Philosophiae *Epicureae* instauratore.

An. ∞. ↃↃCXLI. MERSENNO procurante cum nobilissimo RENATO CARTESIO commercium instituit Epistolicum, in quo, de natura ac legibus motus, tam directi, quam reflexi aliisque ad *Dioptricen* spectantibus argumentis utrinque subtiliter disputatum est, quae omnia tomo tertio Epistolarum *Cartesii* plene exhibentur. Circa idem tempus Cartesius (praemisso iam antea

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [99] - 79

tea Anno ∞. Ioc XLVII. nouae Philoſophia ſpecimine) publicauit ſuas de Prima philoſophia meditationes, in quibus DEI eſſentiam atque exiſtentiam, animae humanae naturam, eamque ab omni corporeo prorſus diſtinctam, ipſius Materiae rationem & modos maxime proprios; omnis denique ſcientiae fundamenta, ex innatis quibusdam Ideis demonſtrare contendit. Illos tanti uiri conatus digna cum laude, exceperunt omnes; at nihilominus tantam rerum molem tam imbecillibus fulcris inniti non paſſi ſunt ſagaciores Philoſophi; ſcriptisque contrariis rationum eius incertitudinem oſtenderunt, inter quos praecipue nominandi ueniunt, PETRVS GASSENDVS, ANTONIVS ARNALDVS celebris e *Sorbona* Theologus, & *Thomas* Hobbius.

Anno ∞. Ioc XLIV. MARINVS MERSENNVS cogitata ſua Phyſico-Mathematica in lucem emiſit, ubi inter alia doctorum uirorum collectanea, nonnullis ingenii HOBBIANI monumentis opus ſuum inſignire placuit.

Anno ∞. Ioc XLV. Exarſit celebris illa controuerſia inter CHRISTIANVM SEVERINI LONGOMONTANVM Cimbrum, ſuperiorum Mathematum in Regia *Danorum* Acadaemia *Hafnienſi* Profeſſorem publicum, & IOANNEM PELLIVM Anglum tunc temporis Matheſeos in illuſtri *Amſtelodamenſium* Gymnaſio Profeſſorem itidem

itidem publicum. LONGOMONTANVS nempe *Vraniburgi* sub *Tychone* astronomicis studiis initiatus, *Astronomia Danica* anno ∞. Io c XXII. edita, nonnullam sibi nominis celebritatem comparauerat, quam in Geometricis etiam affectans, ad infelicem illum Quadraturae circularis scopulum, cui tot praeclara ingenia allisa sunt, impegit. Doctissimus autem PELLIVS, LONGOMONTANI paralogismos aperte deprehendens, cum in uno theoremate probando totius controuersiae cardinem uerti facile cerneret; hoc ipsum tum proprio Marte demonstrauit, tum adhibitis celebriorum totius Europae Mathematicorum calculis, sententiam suam munire conatus est. Illi autem ne aut gratiae caussa suffragari, aut de rebus parum perspectis pronunciare uiderentur, suas singuli demonstrationes illi miserunt, eorum nomina mihi historiae literariae caussa repetenti condonabitur sero. Erant autem AEGIDIVS PERSONERIVS de *Roberual*, Parisiis in Collegio Regio Franciae, Mathematum Professor; THOMAS HOBBESIVS Philosophus Anglus; CAROLVS CAVENDISHIVS Anglus, eques auratus, illustrissimi Noui Castri Marchionis frater unicus; D. PALLIEVR nobilis *Parisinus*; PETRVS CARCAVIVS in supremo Galliae Consistorio Senator, MARINVS MERSENNVS Minimus; IO. ADOLPHVS TASSIVS, Mathematicus *Hamburgensis*;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [101] - 81

IO. LVD. VVOLZOGEN Liber Baro AVSTRIACVS S. R. M. *Poloniae & Sueciae* Aulicus cubicularis RENATVS DES CARTES, BONAVENTVRA CAVALIERIVS, *Bononiae* Mathematices Professor publicus, quibus postea accesserunt CLAVDIVS MYDORGIVS, patricius *Parisinus* & *Picardiae* quaestor & *Iacobus Golius*, Mathematum & linguae Arabicae in Academia Lugduno-Batava Professor peritissimus. De HOBBIANO autem ratiocinio, ne pro affectu aliquid immodica laude efferre uidear, hoc solum adiicere libet, illud aut eleganti breuitate aut euidenti perspicuitate ceterorum nulli concedere.

Grassante interim per Angliam ciuili bello HOBBESIVS pro summo in patriam amore, quod bonum ciuem & fidelem subditum maxime decuit, populares suos sanioribus quam quae hactenus obtinuerant, principiis imbuere, exacerbatos hominum animos ad pacis & concordiae rationes reuocare, & in summae potestatis obsequium addictiores praestare annisus est. Quare reliquis posthabitis studiis, quantum ipsi suppetiit temporis Politicae scientiae impendens, Librum *de Ciue* (cuius pauca duntaxat Exemplaria Parisiis ∞. Io c XLII. euulgauerat) reuisit, & notis utilibus adauxit; in quo subditorum contra summum Imperatorem coniurationes penitus damnauit; Potestati Ciuili Iura ab *Ecclesiasticis* caliginosorum temporum bene-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [102] - 82

beneficio praerepta reſtituit, & diram ſectariorum hydram effroenam nempe conſcientiae libertatem, heroico auſu perdomuit.

Eodem anno fortuna belli regiis partibus infenſa, magnus honoratorum Exulum numerus Pariſios confluxerat, interque illos PRINCEPS VVALLIAE, nunc REX optimus CAROLVS ſecundus. HOBBIVS itaque magna famae celebritate tum apud ſuos tum exteros florentiſſimus, a Magnatibus quibusdam Principi commendatus eſt, ut Mathematicam ipſi praelegeret. Quo munere magno cum iudicio perfunctus, eam Matheſeos cognitionem impreſſit, quam hodie in tanto Principe admirantur omnes, adeoque placuit, ut apud ipſum regnis haereditariis reſtitutum maxima ſemper floruit gratia, annuo etiam honorario ornatus. Illo tempore *Samuel Sorbierius* M.D. doctiſſimi *Samuelis Petiti* nepos in *Holandiam* profecturus, exemplar Libri de Ciue ultima auctoris manu limatum impetrauerat, quem ideo *Gaſſendus* & *Merſennus* miſſis duobus Epiſtoliis laudabant, & boni publici cauſſa ut typis optimis committeret, incitabant; quae hic loci interſerere non abs re alienum iudico.

GASSENDI EPISTOLA.

Per erudito ac peramico
Viro
SAMVELI SORBERIO

PETRVS GASSANDVSS.

QVod Epiſtolium ad me Caleto uela mox facturus, dediſti, accepi. Nihil opus fuit excuſare, quod Vale coram non dixeris; nam praeclarus noſter *Martellus* ſat declarauit, quam improuiſa diſcedendi occaſio fuerit & quam requiſieris me tamen, utcunque non adfuerim domi. Quod addis tamen potuiſſe te ante diſceſſum extorquere ab Eximio illo HOBBEO, id exemplum Libri *de Ciue*, cui ipſe manu propria marginales notas appoſuit, ut cum iſthuc, ubi te uoueo incolumem, perueneris, edi iterato procures, id ſummopere delectauit. Videlicet, tàm pauca fuere excuſa Libri exemplaria, ut illa ſui ſitim potius fecerint, quam expleuerint, ſiquidem innumeros uideo, qui librum ardentes, ſed fruſtra requirant. Et Liber certe eſt non uulgaris, dignusque, qui omnium, qui altiora ſapiunt, manibus teratur; neque (ſi illa ſepoſuero, quae religionem in qua ſumus ἑτεροδόξοι, attinent,) ſcriptorem agnoſco, qui Argumentum ſcrutetur quam ille, profundius. Vtinam uero cetera etiam quae ille uerſauit, perinde extorſiſſes! quippe ex iis in lucem prolatis ſumme beaſſes nationem totam Philoſophantium ſolide; cum ego quidem neminem norim, qui ſit inter philoſophandum magis a praeiudicio liber, quique penitius, quicquid rerum edisſeruit, introſpiciat. Enim uero tu Virumſatis noſti;

fruſtra-

fruſtraq; foret ſi quid praeterea in commendationem eius adderetur. Vale, & amicos optimos ſaluta, imprimisq; CVRCELLIVM, HEEREBOORDIVM, BORNIVM & alios *Pariſiis* IV. Calend. May clo Ioc XLVI.

EPISTOLA MERSENNI.

Eruditiſſimo Viro

SAMVELI SORBERIO D.M.S.D.

MARINVS MERSENNVS. M.

EN audio doctiſſime SORBERI, tecum illud egregium opus *de Ciue* Incomparabilis Viri D. HOBBII te *Hagam Comitis*, hoc eſt ingentem theſaurum literarium tuliſſe, nouis auctum cogitationibus, quae ſingulis difficultatibus ſatisfacientes, planum iter exhibeant. Vide igitur ut quis egregius Typographus librum illum aureum gemmis auctum & ornatum, in lucem edat, neque diutius patiaris eum a nobis deſiderari. Sed & Auctorem pro uiribus urgeas, ne totum corpus Philoſophicum, quod mente premit, & calamo explicat, deinceps arca (nobis fatali) concludat, ne tandem nos ad auctoritatem Regiam prouocare cogat, qua ipſius arcam inuidam effringamus. Quanta autem uoluptate a nobis afficieris, quando uideris nobilem illam Philoſophiam, non minus quam *Euclidis* elementa demonſtrari? Quam libenter illi tuae Ἐποχῇ ſcopticis naeniis renunciaturus es, cum Dogmaticam firmiſſimis innixam fulcris fateri cogeris. Vale,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [105] - 85

ubi uero D. RIVETVM, ubi HVGENIVM Mirabilem uirum uideris, millies eos meo nomine ſalutes uelim, meque tui credas memorem & obſequentem.

Aureliae XXV. April.
cIↃ IↃc XLVI.

Prodiit autem Liber *de Ciue* typis *Elſeuerianis* annno ∞.IↃcXLVII. annoque inſequente dicti *Sorbierii* opera Gallice uerſus, ex eadem officina prodiit Anno ∞. IↃc XLIX. *Cornificio Vlefeldio* Magno Danicae militiae Magiſtro dicatus, addito etiam praeloquio, in quo & laus auctoris & libri dignitas exponuntur.

Interea indefeſſum Philoſophi noſtri ſtudiorum curſum infelix caſus interrupit; ex improuiſo febre correptus eſt acutiſſima, quae in tantum inualuit, ut remediis fruſtra adhibitis naturae morbi uiolentiae ſuccumbente, extremum pene ſpiritum acturus uideretur. Tunc autem cum non amplius cuique relictus eſt fucum faciendi locus, eo momento ſe religioni patriis legibus ſtabilitae addictiſſimum oſtendit, & precibus iuxta Eccleſiae Anglicanae ritus praemiſſis, ſupremum Viaticum recepit. Nihilominus praeter omnem ſpem fauſto Numine conualuit.

Ineunte Anno ∞. IↃcL. GVLIELMVS DAVENANTIVS Eques Auratus, Poëta Laureatus, Poëmatis Heroici *Gondibertia-*

dis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [106] - 86

dis nomine insigniti anno proximo Londini proditurі, praefationem *Parisiis* edidit; in qua de Poëtis, Heroicae praesertim, natura ingeniosissime disseruit, & totum opus HOBBIANI iudicii censurae submisit. HOBBIVS autem Amici postulatis responso satisfecit, & quid de Nobili illo Poëmate sentiret, exposuit, nec non ulterius de Poëmatis ratione in genere, & specialius de Heroico, ratiocinatus est, supra uulgares literatorum notiones.

Eodem anno publicatum est opus eius Sermone patrio *de Natura Humana*, praefante (uti fama accepit) summi ingenii ac iudicii Viro SETHO VVARDO, tunc Astronomiae Professore Sauiliano, nunc Episcopo *Sarisburiensi*, & elegantissimis Iambicis adornante RVDOLPHO BATHVRST, tunc Magistro artium Collegii Trinitatis *Oxon.* nunc Decano *Bathoniensi*. Sicut etiam anno uertente, liber de corpore politico Londini impressus est.

Anno ∞. Io c LI. prodiit scriptum nomine *Leuiathan* (per stupendum illud animal designatur corpus Politicum) liber per *Europam* celeberrimus; scriptis interim contrariis uexatissimus; quem nonnulli quasi insolitum Politices miraculum uenerantur; alii interim quasi monstrum horrendum, informe, omni rationis lumine destitutum, fugiunt & detestantur. Fruatur quisque suo per me sensu licet; mihi nec alienam

Philoſophandi libertatem circumſcribere, neque propriam prodere, animus eſt.

Miſſis autem in *Galliam* nonnullis *Leuiathanis* exemplaribus, Theologi Anglicani qui circa Regem erant, ob quaedam in eo opere Paradoxa, Hobbium tanquam partibus regiis minus addictum, tum ut nouarum impiarumque in religione opinionum Auctorem criminabantur. Valuerunt apud *Regem* Pientiſſimum calumniae Religionis ſpecie laruatae, & praeualentibus aduerſariis ne ad Regem aut domum regiam accederet, mandato cautum eſt.

Hoc tanto praeſidio orbatus HOBBIVS, Romanae Eccleſiae, Spiritualis Monarchiae ſatellitum metu correptus eſt, quorum odium implacabile ſeſe merito incurriſſe ſenſerat, ob detectas in *Leuiathane* Eccleſiaſticorum technas, regni tenebrarum dolos, & PONTIFICIS ROMANI poteſtatem malis artibus occupatam, qua in ciuilis poteſtatis iura inuolando, qua ſimplici ac imperitae plebeculae ſanctis praeſtigiis illudendo; quare *Pariſiis* ſe minus tutum iudicans, media Hyemis tempeſtate aufugiens, in patriam ſe contulit, cuius itineris moleſtiis fatigatus, iam ſenex plus quam ſexagenarius, duiturnam ſtomachi aegritudinem contraxit; adhibitis n hilominus debitis medicinae auxiliis, priſtinam tandem ualetudinem recuperauit.

Annum ∞. Io c LII. Londini inſumſit, urbe

urbe celebri & copiosa, liberalissimis studiis eruditissimisque hominibus affluente, quorum assidua consuetudine & quotidianis colloquiis fruebatur. Inter quos eminebat GVILELMVS HARVEVS M. D. CAROLI primi Medicus primarius, *circularis sanguinis motus* Inuentor, qui & postea moriens, Anno ∞. Iↄ c LVII. (aetate 80.) in amicitiae testimonium, aliquot librarum Anglicarum summam ipsi testamento legauit. IOANNES SELDENVS I. C. Polyhistor, Antiquitatis, historiae & linguarum orientalium cognitione celeberrimus: IOAN. VAVGHAN I. C. postea in Banco communium Placitorum supremus Angliae Iustitiarius; ABRAHAMVS COVVLEIVS, uir omnibus numeris Poëticis, quod ueterum nulli contigit, perfectissimus, qui etiam HOBBIVM immortali *Carmine Pindarico* celebrauit; Nec omittere fas est CAROLVM SCARBVRGIVM M. D. Mathematices cognitione, & Medicinae praxi clarissimum.

Anno ∞. Iↄ c LIII. in *Deuonienſium* Comitum familiam, securum studiorum asylum reuocatus, animum penitus applicuit absoluendae Philosophiae de corpore, in qua Physices elementa exponuntur. Illam Philosophiae partem primam animo designauerat, sed ob ciuile bellum interuenientes, de *Imperii & debita ciuium obedientia* quaestiones, Politices, partis alio-

quin ultimae, ceteris dilatis, prius maturandae absoluendaeque in causſa fuerunt.

Tandem autem ad umbilicum perductus liber *de Corpore* prodiit. latine ∞. Io c LV. & proximo anno uernacule, una cum ſex *Lectionibus* ad Profeſſores Mathematicae *Sauilianos*.

Illo tempore Clarisſimus VVALLISIVS in Academia Oxonienſi Geometriae Profeſſor SAVILIANVS edito *Elencho Geometriae Hobbianae*, Diuturni illius belli Mathematici claſſicum cecinit, quod acerrimo Marte adhibitis quadra & circino, interuolantibus nonnunquam acutiſſimis conuitiorum telis, utrinque geſtum, uicennium & amplius perdurauit, nec niſi tandem Hobbiana morte conquieuit.

Circa idem tempus HOBBIVS cum IO. BRAMBALLO, tunc Epiſcopo Derrienſi, poſtea Archiepiſcopo *Armacano*, & totius *Hyberniae* Primate, certamen exercuit literarium, de *Libertate & Neceſſitate* actionum humanarum; Libelli utrique conſcripti ſunt uarii, de quibus alibi plenius.

Anno ∞. Io c LVIII. in lucem emiſſus eſt Liber *de Homine*, qui eſt Philoſophiae eius pars ſecunda, quae circa facultates affectusque humanos, imaginationem, memoriam, intellectum, ratiocinationem, appetitum, uoluntatem, bonum, malum, honeſtum, turpe, aliaque eius generis occupatur.

Anno

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [110] - 90

Anno illo mirabili ∞. Ↄ c LX. ſummo Numine Britannicae Gentis infortunia miſerante, depulſis Rebellionum furiis & profligata ſaeuiſſima illa Tyrannide, quae ſub *Religionis & boni publici* larua in uitas fortunasque omnium impune graſſabatur; poſt complurium annorum exilium, Regnis ſuis reſtitutus eſt Sereniſſimus Princeps, CAROLVS SECVNDVS; Quod ſicut bonis omnibus ſummam attulit laetitiae materiam, ita HOBBIVM, qui Regias partes pro uirili ſemper ſuſtinuerat, incredibili gaudio affecit. Ingenti itaque deſiderio optimi Principis adſpectu fruendi excitatus, relicto rure, ubi tunc temporis degit, *Londinum* aduolauit, ubi quam uotis tantopere expetiit felicitatem, caſus inopinatus ipſi ultro detulit. Rex enim aedes *Sarisburienſes*, in quibus tunc cum *Patrono* moratus eſt HOBBIVS, curru praeteruectus, illum forte conſpicatus ad ſe acceſſi iuſſit, manum oſculandam praebuit de ualetudine ac rebus ſuis ſciſcitari dignatus eſt; ipſo interim fauorem Regium, quo par eſt, cultu & obſequio excipiente. Non multo poſt, SAMVELE COOPERO Pictore Excellentiſſimo *Regem* admirandi penicilli ductu ad uiuum exprimente, eius opera ad ſecretiorem cum REGE congreſſum admiſſus eſt; Qui colloquio ipſius non minus prudenti, quam faceto plurimum oblectatus, de priſtina apud ſe gratia ſecurum reddidit & facilli-

cillimos ſemper inpoſterum aditus pro ſumma benignitate conceſſit.

Sub illud tempus CAROLI ſecundi auſpiciis, fundata eſt *Societas Regia Londinenſis* promouendae Philoſophiae Naturalis cauſſa; de cuius inſtituto honorifice ſenſit *Hobbius*, ita ut ueram Philoſophiam relectis Academiis Londinum transmigraſſe affirmaret; illud tamen improbare uiſus eſt, quod de generali motus doctrina excolenda minus ſoliciti, *Proletariis Experimentorum Minutiis* ſe addicerent nimis; ſaepenumero dicere ſolitus, ſi ex multifaria Experimentorum farragine congeſta Philoſophi titulus exurgeret; nihil obſtare, quo minus Mulierculae, Olitores, Pharmocopoei & Ciniflones Chymici in Philoſophorum album referrentur.

Tunc etiam HOBBIVS Mathematicae ulterius prouehendae ſtudium impenſe intendit; Geometriam ab ipſis fundamentis reſtituere aggreſſus; in qua Naturam quantitatis lineae, anguli, Rationis ſeu Proportionis, ſe primum detexiſſe in animum induxit; praeterea admiranda illa Problemata, ad quae fruſtra hactenus Geometrae adſpirauerant, (faſtigium totius Geometriae altisſimum) Circulo aequale exhibere Quadratum; Cubum Cubiduplum conſtitu re; datum Circuli arcum iuxta datam rationem diſpertiri; Rectam lineam Parabolicae aequalem inuenire; ſeſe praeſtitiſſe & maxi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [112] - 92

maxima cum euidentia demonſtraſſe, refragantibus licet uniuerſis Mathematicorum calculis, ſibi obſirmate perſuaſit.

Ab Arithemetica autem ſpecioſa tanquam blanda ingeniorum ſeductrice prorſus abhorruit; ueritus ne illius opera, ab antiqua conſtruendi & demonſtrandi elegantia, cuius auxiliis *Euclides*, *Apollonius*, *Archimedes*, *Pappus*, aliique e Veteribus ſummi artifices Matheſeos Pomoeria tam feliciter protulerant, doctorum animi paullatim aduocarentur.

Anno ∞. Io c LXIV. ab Amico quodam qui πολιτικώτατον eius ingenium expoliendis Reipublicae legibus ſumme accommodatum iudicauit, ad legum Noſtrarum ſtudium impulſus eſt; cauſatus licet aetatem iam grandiorem, & materiae tam incultae tantisque difficultatibus implexae, uix ſuffecturam; usque adeo tamen perſpicaciſſimae mentis acies rerum interiora penetrauit, ut de *Legibus Anglicanis* commentarium ſcriberet doctiſſimis ICtis in pretio habitum, qui adhuc Manuſcriptus aſſeruatur.

Iam uero cum in infinita pene materiarum ſylua ſeſe hactenus uerſatum fuiſſe perpendiſſet, ueritus ne, quae olim ſeorſum prodierant opera, uel ut *Sibyllae* folia, paſſim diſperſa uolitarent; ſcripta ſua in unum compingendi deſiderio ferebatur. Quare uerſis in Latinum quae ſibi commoda uidebantur;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [113] - 93

bantur; praeſertim famigerato *Leuiathane*, quem adiecta appendice auctiorem fecit; Vniuerſa ſimul prelo committere animo deſtinauit. Cum autem ab illis qui tunc prelo imperabant, apud *Londinenſes*, *Oxonienſes*, aut *Cantabrigenſes*, typorum licentia impetrari non poterat, deſtinato nihilominus propoſito obnixe intentus, opera ſua *Amſtelodami* imprimenda tradidit *Ioanni Blauuio*, uiro optimo, & rei literariae promouendae ſtudioſisſimo; cuius induſtria factum, ut Anno ∞. Ɔ c LXVIII. pulcherrimis typis expreſſa in publicum prodierint. Quae etiam non multo poſt in Bibliothecam Aulae *Magdalenenſis*, cuius olim Alumnus fuerat, in grati animi teſtimonium, ſubmiſit.

Interea *Hobbius* magna ingenii gloria celebris, ab uniuerſis ſummo honore afficiebatur, atque illum non ſolum colebant qui aliquid in Philoſophia percipere atque audire ſtudebant, uerum etiam ſi qui forte ſimulabant. Omnes paſſim aut genere aut literatura Nobiles, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, illum cognitione atque amicitia ſua dignum exiſtimabant. Exterorum Doctisſimus quisque qui Angliam noſtram inuiſeret, ad ipſum quaſi Philoſophiae quoddam Oraculum proficiſcebatur: Quin etiam Legati atque Principes tanquam ad ſingulare Gentis noſtrae Ornamentum confluebant.

Anno

Anno ∞. Ɔ c LXIX. *Cosmus Mediceus, Ferdinandi* secundi filius, *Etruriae* Princeps, tanti Philosophi fama permotus, illum saepius conuenire dignatus est; & insignem scientiam quam plurimum admiratus; Iconem eius & libros uniuersos, inter rarissima Bibliothecae *Mediceae* κειμήλια reponendos, domum secum deportauit.

Tunc etiam in *Academiis* aliquantum obtinere cepit Philosophia *Hobbiana*, & iuuentus Academica in publicis Scholarum uelitationibus, opiniones *Hobbianas* haud raro defendere solita est. Inter alios *Daniel Scargil* Artium Baccalaureus & Collegii *Corporis Christi* in Academia *Cantabrigiensi* Socius, uir feruidi & praecocis ingenii, & uitae paullo solutioris, Theses quasdam incautius forsan, & nimia cum acrimonia propugnauit. Illae autem, prout typis Academiae publicis expressae habentur, huiusmodi erant.

Ius Dominii fundatur in potentia.

Iustitia Moralis pendet a Ciuilibus Institutis.

Scriptura Sacra in Legem sancitur solummodo ex Auctoritate Magistratus.

Supremi Magistratus iussis, etsi Legibus Diuinis quae de moribus latae sunt, contrariis obtemperare oportet.

Quibus aliam (quod suspicari licet) Inuidiae

diae augendae gratia attexuerunt boni censores, quam pro Thesi Philosophica sumat, qui uolet, si quis adeo caecus est:

Quod Glorioſum erat, Atheus *esse & censeri.*

Ista autem positio ex consequentia dicti cuiusdam trahi dicitur, quod gloriaretur se *Hobbii* discipulum atque *Atheum* esse: Vocabulis a Censoribus ita odiose dispositis, tanquam idem sonarent, *Hobbianus* atque *Atheus*.

Theologi autem, qui in *Academiis* semper regnant, quique in Rem suam aut commoda peccantibus haud facile ignoscunt, illum pro Senatu Academico, qui etiam ex ipsis praecipue conflatur, grauissimorum criminum postulant. Quare summa cum uehementia increpitus, Magistratus Academici auctoritate Carceri inclusus est; postea gradu priuatus, sodalitate exutus, Academia expulsus, Prius tamen summa cum ignominia & dedecore coactus est pro concione in Templo publico Theses suas tanquam sibi a *Plutone* submissas ad *Stygem* damnare; Easque erga Summum Numen impias, omnique humanae societati pernicioſisſimas, pronunciare.

Sic acta est isthaec Tragoediola; *Hobbius* autem nominis sui existimationem iniustis calumniis laesam facile sentiens; dogmatis suis tum in sequiorem sensum detortis, tum etiam turpiter & cum opprobrio damnatis, ipsoque tanquam *Atheorum* Antesi-

teſignano publice deſcripto, per literas ad amicos de iniuria grauiter conqueſtus eſt, ſed incaſſum, cum id temporis uindicias ſuas publico dare ipſi liberum non eſſet.

Anno ∞. Io c LXX. *Antonius à Wood*, Collegii *Mertonenſis* Socius, Vir doctiſſimus, Hiſtoriam & Antiquitates *Oxonienſis* Academiae, in quibus per decennium & amplius, admiranda cum induſtria laborauerat, tandem abſoluit. Opus illud Anglice conſcriptis duobus Voluminibus complexus eſt, quorum prius res in Academia geſtas ab ipſo ortu ad noſtra usque tempora, recenſet; in altero Collegiorum Fundatores Mecaenatesque & illuſtrium uirorum Elogia continentur. Placuit autem ſummis in Academia Viris, ut exterorum in gratiam *Latio* donaretur, ſtudioſis nonnullis ad hanc operam delectis, qui tamen in cogitatis ſuis uertendis Auctori non fecerunt ſatis. Multo autem minus alia in re ipſi ſatisfactum eſt; cuius hiſtoria licet prolixior paullo, ueritatis tamen hiſtoricae curioſis, fortaſſis non iniucunda.

Aedis Chriſti *Decanus* nunc *Epiſcopus Oxonienſis*, (quem honoris cauſſa nomino) quum & operis uertendi, & typorum ſumptus maximam partem, propriis impenſis ſuſtentaret, eam ſibi licentiam adſeruit, ut quae ſuo adliberent animo, etſi ab Auctoris mente aliena, paſſim interſereret; multa autem, quae ipſi pro affectu ſuo & Par-

tium ſtudio diſplicerent, expurgaret. Ob iſthoc factum incredibili dolore affectus eſt Auctor, & contaminatam Hiſtoriae fidem grauiſſime conqueſtus, nihil interim remedii impetrauit.

Prae aliis autem maculis, quibus a Cenſoria manu deturpata eſt celebris illa doctorum uirorum hiſtoria literaria, peſſime deformatum eſt Elogium *Hobbianum*; detractis, quae ab Auctore adſcriptae ſunt, laudibus, earumque in locum uituperiis ſubſtitutis. Rem ipſam uero ſimpliciter exponere conſtitui, tum ut *Hobbio* debitus conſtet honos, tum Auctori, quoad fieri poterit, ius ſuum in integrum reſtituatur.

Ex Hiſtoria & Antiquitatibus Vniuerſitatis Oxonienſis.

Edit. Oxon. ∞. Io c LXXIV. lib. 2. p. 376. & 377.

THOMAS HOBBIVS uulgo HOBBES, *VVeſtportae* in *Malmesburia* oppido Mercatorio VViltonienſes inter, natus quinto Aprilis Anno ∞. Io c LXXXVIII. Literis Latinis & Graecis initiatus, in hanc aulam admiſſus eſt Anno ∞. Io c III. ubi operam impendens ſtudiis Philoſophicis, admiſſus fuit ad lectionem cuiuslibet libri Logices 5. Febr. ∞. Io c VII. Poſt quem gradum quadrageſimalibus determinationibus completum, in clientelam ſimul & familiam D. GVILELMI GAVENDISH Baronis de HARD-

HARDVVICK, Comitis postea *Deuonien-sis*, ex commendatione aulae Principalis uocatus est. Apud hunc uirum nobilem, cum ingenio *acri* & industriâ nec tamen iniucundo, non leuem gratiam iniisset, ab eodem habitus est dignus, ut filio natu maximo in exteras regiones proficiscenti latus tegeret. In *Galliam* ergo, & inde in *Italiam* transiens, non mediocrem istarum regionum siue linguarum, siue homines moresque respicias, cognitionem reportauit. Non immemor interim Graecae & Latinae linguae, quas Iuuenis hauserat, peritiam, horis successiuis renouandi, & augendi, Logices & Philosophiae Peripateticae haud usque adeo curiosus quas negligi passim, & praeteriri tanquam Scholarum friuola a *Viris Cordatis* prae se ferebat. In patriam reuersus Poëtas & Historicos Latinos diligenter relegit, adhibitis etiam Grammaticorum celebrium commentariis, non ut floride, sed ut Latine posset scribere, & tum uerborum cogitatis congruentem inuenire. Inter Historicos Graecos *Thucydidem* prae ceteris dilexit, & uacuis horis, in Sermonem Anglicum paullatim conuersum, cumulata laude Anno ∞. Io c XXVIII. in publicum edidit, eo fine, ut ineptiae Democraticorum *Athenienſium* nostris hominibus patefierent. Eodem anno cum Comes *Deuonien-sis* diem suum obiisset, cui per uiginti annos Cliens familiaris adhaeserat, in Galliam ite-

rum abiit, filii D. GERVASII CLIFTON Equitis, curam peragens. In qua peregrinatione, *Euclidem* primum inſpexit, methodo eius, non tam ob Theoremata, quam ob artem ratiocinandi, delectatus. Anno ∞. Iↄ c XXXI. a Comitiſſa *Deuoniae* reuocatus eſt, ut filio eius, qui tredecennis erat, Praeceptoris munere fungeretur: Quod cum poſt triennium perfeciſſet, cum eodem in *Galliam* & *Italiam*, & uiae & uitae dux peregrinatus eſt. Dum moraretur *Pariſiis*, principia Scientiae Naturalis inueſtigare cepit. Cum uero haec in natura & uarietate motuum contineantur, quaeſiuit imprimis, qualis motus is eſſe poſſet, qui efficit ſenſionem, intellectum, phantasmata, áliasque proprietates animalium; cogitatis ſuis, cum MARINO MERSENNO, ordinis minimorum, in omni genere Philoſophiae uerſatiſſimo, *Viroque optimo* quotidie communicatis. An. Dom. ∞. Iↄ c XXXVIII. cum pupillo ſuo (nunc Patrono) in *Angliam* reuerſus, in eius familia conuixit, inſtituto interim cum *Merſenno* praedicto, de rebus naturalibus, Epiſtolari commercio. Interea *Scoti*, depulſis Epiſcopis, ſumſerunt arma contra Regem, fauentibus etiam *Miniſtris* illis, qui uocari ſolent *Presbyteriani*. Itaque conuocatum eſt in *Anglia* Parlamentum illud notiſſimum, quod inchoabatur 3. Nou. ∞. Iↄ c XL. Ex iis quae in Parlamento tribus quatuorue diebus primis conſulta uide-

uiderat, Bellum ciuile ingruere, & tantum non adeſſe ſentiens, retulit ſe rurſus in Gallia, ſcientiarum ſtudio *Pariſiis* tutius uacaturus, cum *Merſenno*, *Gaſſendo*, aliisque uiris egregiis propter eruditionem, & uim in ratiocinando celeberrimis. Cum iam *Pariſiis* ageret, libellum ſcripſit *rebus permiſcendis natum De Ciue*, quem poſtea reuiſit & auxit; quo quaſi tempore, praeualentibus *Parlamentariis* multi eorum qui *Partes Regias* ſequuti erant, & in illis Princeps *VValliae* (qui nunc regnat) Pariſios confluxerunt. Statuerat circa idem tempus, hortatu amici cuiusdam Nobilis *Occitani* migrare in *Occitaniam*, & praemiſerat iam quae ſibi neceſſaria erant; ſed commendatus Principi, ut Elementa Mathematica illi praelegeret, ſubſtitit *Pariſiis*. Quod ab hoc munere temporis habuit uacuum, conſumſit in ſcribendo Librum *Monſtroſiſſimum, qui nunc non ſolum in Anglia, ſed in uicinis gentibus publico damno notiſſimus eſt*, nomine Leuiathan, quem etiam in *Anglia* edendum curauit, ipſe manens adhuc *Pariſiis*, annum agens LXIII. Aliquanto poſt, in Patriam, inibique in aedes diſcipuli quondam ſui, nunc Comitis honoratiſſimi *Deuonienſis* inuitatus, ibi abſoluit Libros duos, *De Corpore*, & *de Homine*, quos publicauit. *Publicati & alii, in re praeſertim Mathematica, cui Muſis reclamantibus Paralogismorum perpetuus artifex operam infeliciſſimam addixit.*

Vir ſane de quo (inter tot proſperae & aduerſae famae, quae de eo ſparguntur, hominum ſermones) hoc ueriſſime pronuntiare fas eſt; animum ipſi obtigiſſe, uti omnis ſcientiae capaciſſimum & infertum, ita diuitiarum, ſeculi & inuidiae negligentiſſimum; erga cognatos & alios pium & beneficum. Inter eos, quibuscum uixit, hilarem & apertum, & Sermone libero. Apud exteros in ſumma ſemper ueneratione habitum. &c.

Haec pro Imperio agente *Decano*, ANTONIVS a VVOOD rem aegre ferens, ueniam ſolummodo obtinere potuit, HOBBIVM, de eo quod factum erat, certiorem faciendi, ne in libro ſub nomine ſuo prodeunte, HOBBIVS ſe notatum ſentiens in ipſum poſtea durius animaduerteret.

HOBBIVS uero tanquam indigna affectus iniuria, (quod magnis ſemper animis a natura inſitum fuit, ut optimus quisque maxime gloriae ſtudio duceretur) ſeſe debito laudis praeconio, unica uirtutis mercede, ſpoliatum, & per ſummam Iniuſtitiam, nomini ſuo inſignem ad poſteros inuſtam contumeliam, non diſſimulauit. Ad Regiam etiam Maieſtatem ſuam detulit querimoniam quae ipſi liberam contra Aduerſariorum, calumnias ſui defenſionem, pro ſolita Clementia indulſit. Quare Epiſtolam Apologeticam ad ANTONIVM a VVOOD datam, circa Comitia *Oxonienſia* Anni ∞. Io c LXIV. publicauit, quae in hunc modum ſe habuit.

EPISTO-

EPISTOLA THOMAE HOBBESII Malmesburiensis,

Ad ANTONIVM a VVOOD,

Auctorem Historiae & Antiquitatum *Vniuersitatis* OXONIENSIS.

Inferenda ad pag. 376. 377. lib. 2. eiusdem Historiae.

ERuditissime Domine, mihique amicissime, indicauit mihi Amicus noster communis I. A. ea quae in Libro Tuo de *Antiquitatibus Academiae Oxoniensis* addidit & deleuit *Doctor* IOANNES FELL, *Decanus Aedis-Christi* in ea parte, quae est de *uita mea*. Nimirum, ubi mihi Tu ingenium attribuis *Sobrium*, Ille, deleto *Sobrio*, substituit *Acri*. Quod quidem ille animo maleuolo pro conuicio posuit. Conuicium tamen non est, & facile ferri potest.

Rursus, ubi Tu *Marinum Mersennum* appellas *Virum optimum*; Ille nescio qua inuidia, uerba illa deleuit. Sed contumelia ista non ad me pertinet.

Tertio, ubi Tu scripseras, *Libellum scripsit de Ciue*, interposuit ille inter *Libellum & de Ciue*, *rebus permiscendis natum*; ut esset, *libellum scripsit, rebus permiscendis natum, de Ciue;* quod ita manifeste falsum est, ut eorum qui temporis illius notitiam quantulamcunque habuerint, nemo illum aut ignorantiae aut malitiae non sit condemnaturus. Liber enim ille editus est,

Anno Domini ∞. Iɔc XLII. quo tempore Bellum Ciuile per Angliam gereretur, ita ut res tunc permiſtae permiſceri ab illo libro non potuerint.

Quarto, ubi Tu de libro meo *Leuiathan* ſcripſiſti, primo, quod eſſet *Vicinis gentibus notiſſimus*, interpoſuit ille, *Publico damno* ut eſſet *Vicinis Gentibus publico damno notiſſimus*. Deinde, ubi Tu ſcripſeras, *Scripſit Librum*, interpoſuit ille, *Monſtroſiſſimum*. Magna quidem fuiſſet haec iniuria, ſi ille aut Doctrinarum Iudex idoneus, aut inſigni aliqua eruditione domi uel foris notus eſſet.

Quinto, quae Tu de Moribus meis, de fama apud exteros, de Beneficiis in me Regiis, &c. tum uere, tum honorifice ſcripſeras, deleuit omnia. Et haec quidem magna Tibi facta eſt iniuria; quae tamen alioqui nocitura mihi non eſt; (fama enim mea qualiscunque eſt, iamdudum pennata euolauit irreuocabilis) ſed ſibi, Academiae, etiam Generi Humano. Sibi, propter turpitudinem. Eſt enim etiam in Inimicitiis exercendis aliud alio inhoneſtius. Itaque inimicitiae quidem iniurias aliquando extenuant. Nam iniuriae apertae Auctorem ſuum oſtendunt, ſed furtiuae quemlibet potius alium, etiam amicum, diſcrimini obiiciunt. Academiae, propter eam quam Inimicus habet in Academia Auctoritatem. Generi denique humano eo quod cum cognitum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [124] - 104

gnitum, tantum esse hominibus in alienas Historias Potestatis, nulla non Historia suspecta erit. Postremo, quod praeter sententiam Tuam de *Operibus meis Geometricis* addidit aut deleuit (cum qui hominem norint, non a sua ipsius cognitione, sed fide aliena locutum esse sciunt; & qui non norint, nomen eius inter Mathematicos aliosque Eruditos nunquam audiuerunt) mouebit neminem. Nulla ergo causa est ut publice cum Eo litigem. Neque si esset, facerem. Scio apud omnes gentes, ex ipsa Ciuitatum Natura, ciuibus singulis datam esse Actionem Iniuriarum (Anglice an action of the Case, Dic ergo quis Actor, quis reus, quis Iudex, quae erit iniuriae compensatio? Si Actor ego sum, Reus Tu solus eris, qui Libri huius Auctor es. Potes quidem Actor esse Tu, Reus ergo erit *Decanus Aedis Christi*, cuius arbitrio (propter sumptus) editionem, nimia bonitate Tua permisisti. Fac autem Actorem esse me, & Illum Reum, etiam iniuriae damnatum; quis erit damni aestimator? Nonne duodecim Viri, Iurati quidem & Legales (adde etiam) boni? Attamen inter damna, (nisi quae pecuniae aestimari solent) uerba non numerant. Nam Scholarum iurgia inter res serias raro habent. Ita scripto publico ulterius non contendam. Testimonia quidem Amicorum amo, Conuicia Inimicorum parui pendo. Ex *Antiquitatibus Oxoniensibus* nomen

meum (si libet) omnio expungant, laudabor tamen a maxima parte Academicorum qui nunc sunt, magisque (opinor) ab iis qui erunt. Praeterea homini seni offensarum uenia utilior est, quam ultio. Tibi uero si tanti est, existimationem Tuam & Veritatem Historiae uindicare, non tantum licet, sed etiam laudabile est. Et siquidem ita Tibi expedire uisum fuerit, poteris Epistolam hanc meam quibuscum uolueris communicare. Si quod aliud consilium in hanc rem inuenero, antequam hae literae Tabulario Tibi perferendae committantur, inclusum habebis ipsis literis. Vale.

Londini Apr. XX.
cIↃ IↃc XLVII.

Tuus
THOMAS HOBBESIVS.

Decanus autem *Hobbesii* factum stomachatus, anteactorum interim immemor, ANTONIVM a VVOOD acribus compellat uerbis, tanquam mala fide secum agentem, qui ipso inscio clanculum rerum notitiam *Hobbio* suggesserat, quin & acerbiori sermone in HOBBIVM inuectus est; non decere scilicet Senem iam Capularem, atque alterum in *Charontis* cymba pedem habentem, de doctrinae fama & controuersiis literariis solicitum esse; Animae potius saluti consuleret, & de iis quae ad faciliorem

in beatorum ſedes ingreſſum conferrent, cogitaret. Cum porro ad colophonem Oxonienſis hiſtoriae uacaret folium, ut publica etiam reprehenſione HOBBIVM corriperet, quandam adiecit Epiſtolam.

EDITOR LECTORI.

PRodiit nuper Charta Famoſa, quae *Epiſtola* THOMAE HOBBESII *Malmesburienſis, ad Auctorem Hiſtoriae & Antiquitatum Vniuerſitatis Oxonienſis* eſſe dicitur, *& inferenda ad pag. 376.377. in Lib. 2.* Ne autem incauto Lectori fucus exinde fiat, paucis monendum eum duximus, conuiciorum ſarcinam hanc ad librum praedictum minime pertinere; porro nullam idoneam ſubeſſe cauſam cur *Irritabile illud & Vaniſſimum Malmesburienſe Animal* aduerſus Hiſtoriae pradictae Editorem inueheretur. Res tota ſic ſe habet. Magnificum *Hobbeſio* Elogium adornauit, aut quod uero propius, ab HOBBESIO ipſi ſibi adornatum, huc transmiſit quidam Dominus I.A. eum in finem, ut operi huic inſeri poſſit: at uero cum ibidem multa occurrerent ab inſtituto ſatis aliena, & ueritati minime conſona, pro iure ſuo illa recognouit Editor; ita tamen ut *Viro peſſime de Deo, honoribus, literisque merito,* locum inter literatos relinqueret.

Stomachatur nihilominus HOBBESIVS, *acre* ſolummodo *ingenium*, non uero *ſobrium* ipſi ab Editore attributum. In facti excu-

excusationem non opponit Editor illorum, qui aut cum ipso, scriptisue eius familiariter uersantur, sententiam; sed *Hobbesii* ipsius appellat fidem, qui in libello *de principiis & ratione Geometrarum*, haec habet. *In magno quidem periculo uersari uideo existimationem meam, qui a Geometris fere omnibus dissentio. Eorum enim, qui de iisdem rebus mecum aliquid ediderunt, aut solus insanio ego, aut solus non insanio; tertium non est nisi quid dicet forte aliquis, insaniamus omnes.* Si insanire eum contingat, non ab Editore iniuria facta est; si alii omnes eruditi mente sua moti insanire illum censeant, non est quod furiosorum sententia, illum moueat, nec queratur reperiri hominem unum, qui demens pariter cum fuerit, communi omnium suffragio calculum adiiceret.

Secundo in loco male habet Hobbesium, quod, cum *historiae Scriptor Mersennum uirum optimum appellauerit*, Editor malignus *uerba illa deleuit*. Agnoscimus *Hobbesium*, aut saltem I. A. sic eum uocasse; sed quandoquidem nec Historiae Scriptor, nec Editor nouere, albus an ater homo fuerit Mersennus, certe absque illius iniuria uerba illa in impressis defuere.

Tertio, probat librum de Ciue *rebus permiscendis* minime *natum*, qui anno ∞. Ↄ C XLII. prodiit: quasi *Miltoni*, *Aschami*, *Goodwini*, seditiosa scripta, rebus permiscendis

ſcendis apta, nata non ſint, quia poſt annum praedictum edita.

Quarto, pariter oſtendit *Librum ſuum Leuiathan, publico damno non fuiſſe notum, nec monſtroſiſſimum eſſe*, quia Editor *nec doctrinarum iudex idoneus, aut inſigni aliqua eruditione domi aut foris notus.* Belle quidem haec cohaerent. Hiſtoriae Editor *Hobbeſio* indoctus uidetur; proinde Leuiathan nec *publico damno* eſt notus, nec eſt *monſtroſiſſimus.*

Quinto, queritur HOBBESIVS, *ea quae Auctor de moribus eius, de fama apud exteros, &c.* ſcripſerat, *deleuiſſe omnia Editorem.* Aio haec omnia Dm. I. A. (aut forte HOBBESIVM ipſum, pro eximia, qua pollet, modeſtia) ſcripſiſſe, quae Auctori prorſus incomperta, pleraque uero omnino falſa fuiſſe nouerat Editor; qui etiam illa, quae ad partes CROMVVELLIANAS fouendas egerit HOBBESIVS, ut & alia eius flagitia ſilentio preſſit. Iterum ergo ſubducat rationes ſuas uir bonus, & conſideret, an non pro conuiciis gratiae Editori debeantur.

Vltimo in loco bilem HOBBESIO mouet, quod Editor *praeter ſententiam Auctoris, de Operibus Geometricis addidit aut deleuit; cum qui hominem norint, non a ſua ipſius cognitione, ſed fide aliena locutum eſſe ſciunt; & qui non norint, nomen eius inter Mathematicos aliosue eruditos nunquam audiue-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [129] - 109

diuerunt. Sed lucrabitur *Hobbesius*, si eius παραδόξα adeo sint immania, ut uel a tyronibus deprehendi possint: agnoscentem superius audiuimus, egregias suas demonstrationes tam conspicuae esse euidentiae, *ut omnibus qui de iisdem rebus secum aliquid ediderunt*, h. e. Geometris uniuersis, insanire uideatur. Sed ab homine qui Reuerendissimum *Sarisburiensem* Episcopum, clarissimum VVALLISIVM, Professorem Sauillianum, aliosque eruditissimos Viros, pro indoctissimis habuerit, contumelia coniungi, in elogium cedet: sobriis rerum aestimatoribus admodum bonus uidebitur, qui Hobbesio displicuerit; satis eruditus, quem ille mortalium ἀμαθέστατος literarum imperitum affirmauerit.

Haec proinde non eum in finem dicta sunt, ut *furioso homini* satisfiat, sed ut intelligat Lector, nullum HOBBESIO, nec Historiae, nec Academiae, nec generi humano, quicquid ex aduerso inclamet *chartae famosae scriptor*, iniuriam factam, quod dictata uiri pestifera notauerit, & obnoxias, ut nihil grauius dicam, sibi blandientis HOBBESII, aut Dom. I. A. laudes Vniuersitatis Oxoniensis Annalibus inseri, nisi prius castigatas, non permiserit Editor. Hactenus ille.

HOBBIVS autem, tum Conscientia propria, tum Doctorum Testimoniis satis fretus, cum *Decano* contentionis funem duce-

re

re recusauit, ulteriore responsione dedignatus. Suspicandi tamen ansam arripuerunt nonnulli *Hobbium a Decano* tam duriter habitum, eo minus in Libro *de Bello Ciuili Anglicano* suam de doctrina & Regimine Academico sententiam dissimulasse.

(Obiter autem ut moneam, de Censorio in Auctores iure, uideantur R. P. Iacobus Gretserus e Soc. Iesu libro de iure modo, & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros noxios & haereticos; R. P. Theophili Roynandi S. I. Erotemata de malis ac bonis Libris, deque iusta aut iniusta eorundem confixione: R. P. Antonius Possevinus S. I. in Bibliotheca, & libro de cultura ingeniorum, nec non uarii *Pontificiorum* Indices prohibitorii & Expurgatorii, Hispanicus, Romanus, Tridentinus.)

Eodem Anno ∞. Io c LXXIV. etiam seni pene Nonagenario, fauentibus Musis, libros aliquot ex Homeri odyssea, specimen integri operis Homerici mox prodituri, uernaculo sermone euulgauit; ubi, si quis iuueniles aestus & furores Poëticos desideret; *Maeonii* tamen *Senis* spiritum a *Malmesburiensi nostro* sermone maxime accommodato expressum, necesse est fateatur.

Mense Iulio eiusdem anni Londinum reliquit, cum animo nunquam reuertendi, quibus se hactenus oblectauerat studiis, quoad uita suppeteret, uacaturus. Quod autem inter rara felicitatis exempla numerandum

randum est ; summo ingenii uigore & sensibus integris ad obitum usque in Philosophia & Mathesi se assiduo exercitauit , & quod magis mirum, Poësin exercuit, qua propriis animi conceptibus exprimendis, qua aliorum transferendis.

Anno ∞. Io c LXXV. cum Homericum tentamen non exiguo literarum plausu exceptum constaret; Homeri Iliada & Odysseam coniunctim Anglicano carmine euulgauit , dissertatione de Heroici Poematis Virtutibus praemissa.

Anno ∞. Io c LXXVI. Edidit Controuersiam de Libertate & necessitate Humanarum actionum cum BENIAMINO LANEY, Episcopo Eliensi olim agitatam.

Anno ∞. Io c LXXVIII. Prodiit *Decameron physiologicum* seu de Naturali Philosophia libri decem, una cum Lineae rectae ratione ad Arcum Quadrantis dimidium: Quo tempore etiam opus eius de *Bello Ciuili Anglicano*, ipso minime conscio, in lucem emersit, cuius occasione Epistolam sequentem ad Librarium G. C. transmisit.

Dialogum *de Bello ciuili Anglicano* diu est, quod publici iuris factum uoluissem; quem in finem *Regi* obtuli, cui, paucos post dies cum libellum perlegisse mihi uisus esset, supplicaui, ut imprimendi facultatem concederet. REX autem solita me excipiens gratia, postulatum prorsus abnegauit. Quare Libri Apographum tibi concessi,

Authen-

Authenticum autem dedi Amico Nobili & Docto, anno abhinc defuncto. SVA MAIESTAS, ad quam maxime spectat qui libri in publicum prodeant, me longe melius nouit, quid facto opus sit. Nollem itaque hac in re in ipsius offensionem incurrere; neque Te huic Negotio immisceas, rogo. Ne uel minimas in Libro Publicando sustinerem partes, quouis pretio redimerem.

Iun. XIV. cIↃ IↃ c LXXIX.

Tuus
THOMAS HOBBES.

Circa medium Octobris, Anni ∞. IↃ c LXXIX. Vrinae suppressione correptus est; Medici autem ob grandem aetatem, de morbo, quouis Remediorum apparatu penitus amouendo, ipsoque in integrum restituendo, desperabant. Vicesimo Nouembris DEVONIAE Comite cum uniuersa familia a Gottisvvortho Hardouicum transmigrante, HOBBIVS Patronum comitandi animo obstinatus, lecticae impositus Viae committitur, ex itinere nihil quicquam molestiae pati uisus. Nihilominus sex septemue diebus praeterlapsis, dextri lateris consummata Paralysi affectus, & loquelae usu priuatus est. Posthaec pauculos dies superuixit, parum sumens alimenti, dormiens plurimum, per interualla loqui conatus, sed frustra; Toto morbi decursu uix Febrile aliquod Symptoma comparuit; Ita

ut ob extremam magis ſenectutem, extincto Biolychnio & deficiente Vitae fomite, quam aegritudinis uiolentia e uiuis excedere uideretur. Obiit autem Quarto Decembris ∞. Io c LXXIX. anno aetatis ſuae XCI.

Elatus eſt ex aedibus Patroni ſui, Pompa non magna, ſed officio funeris ſatis decoro. Sepultus eſt in Eccleſia uicina de Hault-Hucknall, Sacerdote ſecundum Eccleſiae Anglicanae formulas Exequiarum Iuſta celebrante. Conditus eſt iuxta tumulum Comitiſſae DEVONIAE (GVILIELMI, qui nunc Comes eſt, Auiae) ſub nigro Marmore, cuius inſcriptio ſolummodo locum eius Natalem, Tempus etiam Natale & Emortuale prae ſe fert.

Nunc autem operae pretium uidetur, nonnulla paullo ſpecialius deſcribere, quae ad corporis habitum Animi Mores & ingenii ſtudia attinnent; cognitu forſan haud ingrata, etiamſi ſuperius aliquantum delibata.

Itaque ut inde incipiam, Statura Illi procerior fuit, Habitus gracilis, Cutis tenerrima, qua de cauſſa ne frigidior aër poros ſubiret, Crásſioribus indutus ueſtibus, quouis anni tempore incesſit. Faciem habuit ſatis decoram; Frontem amplam, & in rugas proniorem; Oculos uiuidos, & quaſi ſcintillantes. Viſum acutiſſimum, & ad obitum usque ſatis firmum, Naſum oblongiorem, Genas rubore temperatas; Capillitium,

tium, antequam, incanuit nigrum; Barbam autem subflauam; cuius Mystacem labro superiore natura intortam gessit, sub inferiore pilos aluit, sed paucos; ne quod multis in more est, barbam Philosophiae Indicem constitueret. Effigies eius a SAM. COOPERO celeberrimo Pictore delineata, inter Καμήλια Regia asseruatur; quae & multoties caelo sculptorio adumbrata publice habetur. Temperamento praeditus est Sanguineo-Melancholico, ad uirtutis & Sapientiae excellentiam maxime proprio; quali naturae habitui non Philosophi modo & Poëtae, sed & futurorum conscii Vates, si Veterum placitis stare fas est, plurimum debuerunt.

Primis annis Inualetudinarius fuit, & in Icteritiam admodum propensus; progressu tamen aetatis, & circa annum Quadragesimum, ualetudine usus est satis confirmata. Toto autem uitae decursu raro decubuit, aut Pharmacum sumpsit. Circa annum Sexagesimum manuum tremore, Paralyseos praecursore, affectus est.

In Victu non admodum Curiosus, nullum cibi genus fugit, quo populus utitur: aetate magis prouecta, statam semper Prandii horam obseruauit, postea paucis Tabaci haustulis contentus, a coena prorsus abstinuit.

Aetate adhuc intra Iuuentutis terminos

conſtante, (Liceat uerum fateri) nec Abſtemius fuit, nec Μισόγυνος.

- - - Haec omnia mediocriter.
Homo fuit, humani nihil a ſe alienum putauit.

Coelibatum nihilominus tenuit, tanquam Philoſophiae ſtudiis maxime commodum.

Exercitio corporis multo utebatur, Pila palmaria ſaepe luſit, quamdiu prae ſenectute licuit, etiam ultra annum Septuageſimum. Eius in locum, cum opus erat, fortiores deambulationes ſubſtituit; poſt quas, adhibitis frictionibus, in lecto ſe ad quietem componere ſolitus eſt, ultima aetate, cum deambulare amplius uix poſſet, cubiculo ex arte calidiore facto, frictiones ſolum, ad motum ſanguini alias forte ſtagnaturo conciliandum, uſurpauit.

Quoad Mores; oportet primum de Religione teſtimonium dicere. Deum autem agnouit, eumque omnium rerum Originem, intra anguſtos tamen Humanae rationis Cancellos nullatenus circum ſcribendum. Quare fortiter calumniati ſunt, qui ipſum Atheiſmi reum detulerunt; quod inde forſitan profectum, quia Scholaſticorum aliorumque iſto de Grege morem reiecerat, qui otioſi in Muſeis ſuis ſedentes, iuxta imbecillem ingenioli ſui captum, Naturae Diuinae incomperta affingunt attribu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [136] - 116

tributa. Nec minus falso a nonnullis insimulatus est, tanquam solitudinem fugeret, Spectra metuens & Phantasmata, Vana stultorum Terriculamenta, quae Philosophiae suae lumine dissipauerat; Non iniuria tamen forte subueritus est, ne ab illis ad plures mitteretur quorum Commodis aduersatus, ipsorum Artificia ac Versutias Publico aperte conspiciendas praebuisset. Religionem Christianam quatenus in Ecclesia Anglicana, Resectis superstitionis Ineptiis, Regni legibus stabilitur, ex animo amplexus est; quam etiam contra Pontificiorum simul & sectariorum Insultus strenue propugnauit. Controuersias quidem Theologicas maxime auersatus est: quicquid autem ad pietatis Exercitia aut Bonos mores conferret, plurimi fecit. Sanctius illi, & Reuerentius, uisum de Deo credere, quam Scire. Sacerdotes interim inculpare solitus est, qui Christianam Religionem absolutam ac simplicem, uel superstitione maculârunt, uel Inanibus, interdum profanis speculationibus implicarent.

Optime autem populo consultum fore censuit, si Scholasticorum Dogmatum uice, aequi Rectique praecepta, & cuiusque Imperii Leges Ciuiles publice recitarentur, quibus homines ad suum erga Magistratus obsequium, mutuaque uitae Ciuilis officia formarentur. Ipse etiam conatus est maxime, ut post rectos de summo Numine con-

ceptus, dictis Vitae officiis, tam publicis, quam priuatis, ad uirtutis & prudentiae dictamen rite fungeretur. Itaque patriae commodis impense studuit; & Regi Patriae Patri, fidelissime inseruiuit; in amicis colendis Religiosus fuit, in cognatos summe Munificus; cui fidem faciat Fundus Haereditarius pretii non contemnendi, multis abhinc annis Fratri dono datus; quod etiam Nepotem ex Fratre bonorum decoctorem Ducentis libris Anglicanis subleuauit; ut taceam quae in suos in fortuna non adeo lauta constitutos Testamento prudentissime dispensauit. Erga pauperes etiam admodum liberalis, erga uniuersos ad omnem Iustitiae & humanitatis rationem accommodatus.

Quantam itaque in Republica literaria Tyrannidem affectant, qui talem tantumque uirum, ut humani generis pestem & capitalem Religionis, omnisque Ciuilis consortii Inimicum proscribunt, eiusque Philosophiam tanquam pessime moratam, impietate, iniustitia, nequitia, discordia denique foetam e manibus hominum excutere contendunt? cum interim terantur passim *Philostrati*, *Porphyrii*, *Luciani*, *Iamblici*, *Iuliani*, *Eunapii*, *Rutilii*, *Zosimi*, aliorumque Christiani nominis hostium scripta Doctorum insuper uindiciis ornata; neque Alcoranum inspicere, nefas esse, emissa pro sua Alcorani Editione Apologia ostendit

THEODORVS BIBLIANDER, Vir ut incomparabilis Doctrinae, Eloquentiae, ac tribus in linguis praestantiae, sic pietate, moribus & uita exemplar omnium, si GESNERO, VARRONI TIGVRINO, fides adhibenda.

Iustum igitur Examen subeant HOBBIANA, Prudentes, Aequos, Affectibus liberos experiantur Iudices; Quod uerum atque Bonum in humanos usus transferatur; quod secius, quo minus damnetur, non recusamus. Vis illa coelestis quae cuncta regit ac moderatur, uniuersa bonis malisque uariegata sustinet: nos interim, ob quaedem quae arrideant minus, optima quaeque de medio tollere, aequum non est, frustra ueritati Ignorantiae Clypeus praefertur: Diuque nimis in communem Literaturae perniciem, grassatus est importunus quorundam Mos qui opinionum suis aduersarum gratia, Doctis Auctoribus Bellum indixerunt; scriptaque saepenumero flammis prosequentes, tot praeclara Senioris aeui monumenta latrocinio quodam Posteris surripuerunt. Sed prouectus ultra quam par est, ad institutum redeo.

Consuetudo eius ut prodesset, coniuncta Rerum Ponderi Sermonis Grauitas, ut delectaret, facetiae effecerunt. In responsis natura mire promptus, alioquin ex iudicio ad deliberandum, siue (ut ipse maluit dicere) computandum, propensior fuit.

Animo apertus ac ſimplex, alios inſtruendi cupidus, ad conceptus animi impertiendos facillimus. Omnibus Comis & manſuetus, niſi forſan Nouitii aliqui ingenii oſtentandi gratia, Friuolis ipſum Quaeſtionibus & cauillis torquerent. In neminem inuectus eſt, niſi qui laeſit prius, ſuarum quidem Opinionum fuit tenacior paullo.

Ingenium nactus eſt ad omnia natum atq; inſtitutum, quicquid occurreret perſpicaci Iudicio animaduertit: Animus illi indefeſſe cogitabundus: cuicunque ſe addixit materiae, in ea pertinacisſime uerſatus eſt. Illorum ignauiam deteſtatus eſt, qui caeca credulitate ſolis partium ſuarum principiis aſtricti, non lubenter ferunt, alios ultra carceres quibus ipſi continentur, prodire; & arcana rerum Myſteria penetrando, Philoſophiae limites propagare.

Lectio eius pro tanto aetatis decurſu non magna; Auctores uerſabat paucos, ſed tamen optimos. *Homerus*, *Virgilius*, *Thucydides*, *Euclides* illi in deliciis erant. Ingentem Librorum ſupellectilem, qua ſuperbiunt Bibliothecae, non magni fecit, cum Mortales plerumque pecorum ritu antecedentium inſiſtentes ueſtigiis, uix extra tritos calles, & ſemitas ab ipſis quorum Tutelae & Regimini ſubſunt, praeſtitutas, euagari audeant; Cum etiam qui omnem illam ſcriptorum uarietatem qua artes & ſcientiae exultant diligentius introſpiciat;] ubique

que inueniet eiusdem rei repetitiones infinitas, Tractandi modis diuersas, inuentione praeoccupatas, ut omnia primo intuitu numerosa, facto examine pauca reperiantur. Quin & illud saepe dicere solitus est, quod si tantum libris incubuisset, quantum alii ex literatis uulgo faciunt, eadem cum illis ignorantia laborasset.

EPITAPHIVM.

CONDITA HIC SVNT OSSA
THOMAE HOBBES MALMESBVRIENSIS
QVI PER MVLTOS ANNOS SERVIVIT
DVOBVS DEVONIAE COMITIBVS
PATRI ET FILIO
VIR PROBVS ET FAMA ERVDITIONIS
DOMI FORISQVE BENE COGNITVS

OBIIT ANNO DOMINI CIↃ IↃC LXXIX. MENSIS DECEMBRIS DIE IV. AETATIS SVAE XCI.

SCRIPTA:

Elementa Philosophica de Ciue 4. *Paris* 1642. & Amstel. 12. 1647. & 1669. & 4. ibidem 1668. Lat. & 8. 1651. Angl. & 8. 1649. Gal.

De Mirabilibus Pecci *Lond.* secunda uice 1666. Lat. 8.

De Natura Hominis Lond. 1650. 12. Angl.

De Corpore Politico, siue Elementa iuris,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [141] - 121

12. Lond. 1650. Angl. & 12. Amstel. 1653. Gal.

Leuiathan, siue de Republica. Fol. Lond. 1651. Angl. & 4. Amstel. 1668. Lat. & 4. ibid. 1678. Belg.

Appendix ad Leuiathanem, 4. ibidem 1668. Lat.

Elementorum Philosophiae sectio prima de Corpore, 8. Lond. 1655. Lat. & 4. ibidem 1656. Angl. & 4. Amstel. 1668. Lat.

Praelectiones sex ad Professores Sauilianos, 4. Lond. 1656. Angl.

Characteres siue indicia absurda Geometriae XC. Doctoris *Wallis*, 8. Lond. 1657. Angl.

De Homine, siue Elementorum Philosophiae Sectio secunda, 4. Lond. 1658. & 4. Amstel. 1668. Lat.

Quaestiones de Libertate, Necessitate & casu, contra Doctorem *Bramhallum* Episcopum Derrienſem, 4. Lond. 1656. Angl.

De Principiis & Ratiocinatione Geometrarum, 4. Lond. 1666. & Amstel. 1668. Lat.

Dialogus Physicus, siue de Natura aëris, 4. Lond. 1661. & 4. Amstel. 1668. Lat.

De Duplicatione Cubi, 4. Lond. 1661. & Amstel. 1668. Lat.

Problemata Physica, una cum mágnitudine Circuli, 4. Lond. 1662. & 4. Amstel. 1668. Lat.

Examinatio & Emendatio Mathematicae Hodiernae, 6. Dialogis, 4. Lond. 1660. & 4. Amstel. 1668. Lat.

Qua-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [142] - 122

Quadratura circuli Cubatio Sphaerae, Duplicatio Cubi; una cum Reſponſione ad obiectiones Geometriae Profeſſoris *Sauiliani* Oxoniae editas anno 1669. 4. Lond. 1669. Lat. Omnia Magno Principi Etruriae *Coſmo Mediceo* dicata.

Roſetum Geometricum, ſiue Propoſitiones aliquot fruſtra antehac tentatae cum cenſura breui Doctrinae VVallisianae de Motu, 4. Lond. 1671. Lat.

Reſcripta tria ad regiam Societatem contra Doctorem *VVallis*, 4. ibid. 1671. Angl.

Principia & Problemata aliquot Geometrica ante deſperata, nunc breuiter explicata & demonſtrata 4. Lond. 1674.

Thucydides e Graeco Anglice uerſus, Fol. Lond. 1634. & 1676.

De libertate & Neceſſitate, 12. Lond. 1654. Angl.

Lux Mathematica, 4. Lond. 1672. Lat.

Vlyſſis Itinera, ſiue odyſſeae Homericae libri 9. 10. 11. 12. uerſibus Anglicanis 8. Lond. 1674.

Epiſtola ad Ant. a VVood 1674. Lat. Fol. unic.

Homeri Ilias & Odyſſea Anglicano carmine expreſſae, una cum praefatione, de uirtutibus Heroici Poëmatis, 8. Lond. 1675. & 1677.

Tractatus Opticus, in quo ex propriis hypotheſibus Refractiones proſequitur, quem cogitatis ſuis Phyſico-Mathematicis

Signatur: Leibn. Marg. 148, [143] - 123

cis (4. Paris. 1644. editis) in opticae ſuae complementum inſeruit M. Merſenus; qui ipſum ibi uirum nobilem & ſubtiliſſimum Philoſophum appellat.

Obiectiones in Carteſii de prima Philoſophia Meditationes (uulgo audiunt obiectiones tertiae) cum iisdem Carteſii Meditationibus, Pariſiis & Amſtelodami ſaepius editae.

Epiſtolae ad Carteſium nonnullae, quas Tom. 3. Epiſtolarum Carteſii uidere eſt.

Litera ad Gulielmum Noui Caſtri Ducem, de controuerſia circa libertatem & Neceſſitatem habita cum Beni. Laney Epiſcopo Elienſi. 12. Lond. 1676.

De mirabilibus Pecci liber Anglice & Lat. 8. Lond. 1678.

Decameron Phyſiologicum ſiue, Dialogi decem de Philoſophia Naturali; cui adiecta eſt ratio lineae rectae ad arcum quadrantis dimidium, 8. Lond. 1678. Angl.

Conſiderationes de fama, de fidelitate in Regem, Moribus, & Religione Thom. Hobbes Malmesb. 4. Lond. 1662. & 8. ibid. 1680. Angl.

De bello Ciuili Anglicano, ab anno 1640. ad 1660. Dialogus in 8. 1679. Qui ipſo inconſulto prodiit. In MSS. emendatior habetur.

Vita eius latino Carmine 4. Lond. 1680.

Eadem Angl. Fol. Lond. 1680.

Narratio Hiſtorica de Haereſi eiusque poena Fol. 1680. Angl. Epiſto-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [144] - 124

Epiſtola praefixa Principi Anglicanae Hon. Ed. Hovvard. Edit. in 8. 1699. Angl.

Dicitur etiam edidiſſe compendium Rhetoricae Ariſtotelicae, & Logicae Rameae, circa annum 1652. nomine ſuo non appoſito.

In Schedis MSS. aſſeruantur.

Dialogus inter Philoſophum & iuris Anglicani ſtudioſum Angl.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Romana, Poëma ſupra bis mille uerſibus conſtans, ubi de ſuperſtitionis origine progreſſu XC.

Defenſio Leuiathanis aduerſus librum D. Bramhalli cui Titulus Captura Leuiathanis.

Et alia nonnulla.

VIII.

VITA IOANNIS ALPHONSI BORELLI, NEAPOLITANI,

Philoſophiae & Mathematum Profeſſoris Florentini ac Piſani longe celeberrimi, pridie Calend. Ian. Anno clɔ Iɔ c LXXIX. aetatis ſuae LXXII. denati,

Deſcripta a CAROLO IO. a IESV Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum Praepoſito Generali.

NEapolis florentiſſima Italiae Vrbs, & recentium ſemper Heroum, Armis, literis omnique Virtutum genere coru-

coruſcantium, foecundisſima Parens IO. ALPHONSVM eorum albo addidiſſe geſtit die XXVIII. Ianuarii ∞. Io c VIII. MICHAELE ALONSO & LAVRA Generatoribus, in Arcis munitisſimae, quam Caſtrum Nouum appellant, praeſidio; Inuictisſimo Hiſpaniarum Regi PHILIPPO III. merentibus. Vitam Philoſophiae, & Mathematicae ſtudiis ad primas ubique Cathedras uocatus, Florentinam praeſertim & Piſanam, ubi a Serenisſimis illis Principibus perhumanisſime ſemper habitus, conſumſit; uaria iis de rebus edidit, ut de cauſis febrium malignarum Hetruſco ſermone Anno ∞. Io c. XLIX. Euclidem reſtitutum Anno ∞. Io c LVIII. qui tertiam huc usque lucem uidit, & ſemper politiorem, nouisſimam praeſertim, quam Alexander Falconerius elegantiſſimae Indolis adoleſcens, & qui una cum tota ſua nobili familia, in BORELLVM Praeceptorem ſingulari ferebatur beneuolentia, ſuperiori anno ſuis impenſis comparauit. Apollonii Pergaei Conicorum V. VI. & VII. libros anno ∞. Io c LXI. Theoricas Mediceorum planetarum ∞. Io c LXVI. De ui percuſſionis ∞. Io c LXVII. ſubſequenti ∞. Io c LXX. quando etiam Tractatum de motionibus naturalibus a grauitate pendentibus. In ſingulis & Sapientia, & perſpicuitate ſe ſibi aequalem praeferens. Extremis deinde annis Romae in beneficam ſuam a REGINA CHRISTINA cooptatus clien-

clientelam in noſtras Scholarum Piarum Sancti Pantaleonis prope Agonalem plateam ad noſtros Religioſos Alumnos Mathematicis imbuendos Aedes receptus, (quo tempore Conica iisdem elucubratas Apollonii elementa, & Archimedis opera ∞. Io C LXXIX. ceteris addidit) biennio fere ibidem genialiter uixit, ueteris memor uicissitudinis, qua noſtra cum Religione Florentiae uſus, praeſertim cum P. FRANCISCO a S. IOSEPHO in Piſana Cathedra Matheſis Rectore, qui ad Seculum reuerſus, FAMIANVS MICHAELINVS dictus eſt, opusque de Fluminum directione publicauit; & cum P. Angelo a S. DOMINICO, qui ibidem GALILEI clariſſimi Viri Auditor fuit, & adhuc inter uiuos Religioſa probitate Sapientes canos honeſtat cumque aliis pluribus. Tamque raro modeſtiae, ſobrietatis aequanimitatis exemplo inter nos agebat, ut Socratem, Platonem, uel quempiam alium ex priſcis illis ſectarum Inſtitutoribus ſpirare uideretur, niſi quod Catholicae fidei adderet decus; in qua puriſſimum ſe ſemper exhibuit, adeo ut, cum in Aſtronomia edocenda de Syſthematibus oriretur ſermo, *quicquid alii dixerint*, inquit, *omittendum; Ita Sancta docet Eccleſia ita credendum, idque certum in illius obſequium habendum.* Eius quoque Pietas in pluribus elucebat; quotidie enim Sacris intererat, Sanctiſſima Poenitentiae & Euchariſtiae

Signatur: Leibn. Marg. 148, [147] - 127

riſtiae Sacramenta frequenter ſuſcipiebat, P. Magiſtro IACOBO RICCIO e Dominica familia, Sacraeque Iudic: congregationis Secretario a confeſſionibus adhibito, quem una cum eius Germano fratre MICHAELE ANGELO, Sacrae Indulgentiarum & Reliquiarum congregationis pariter Secretario, ut bina huius Seculi nedum Vrbis luminaria unice, & quoad ſcientias, & quoad mores ſuſpiciebat. Antequam cubitum iret, ſaepe a noſtris uiſus, genibus ante lectum flexis, orationi & precibus uacare. Paruulam B. Virginis imaginem a lecto nunquam amoueri paſſus, in ea plurimum uenerationis & fidei ſeſe habere teſtatus. Quae pauca in hoc genere inſinuare duxi, ut quam felici nexu ſcientias Catholica cum pietate coniungeret, innoteſcat: quibus permotus argumentis dicere ſaepe eius Auditoribus ſolebam, eum Praeceptorem eſſe ſortitos, qui non minus exemplo Religioſis moribus eſſe poſſet, quam uerbo doctrinae. Pleuritide tandem accenſus, mortem ſibi iam inminere cognoſcens, Sacramentis omnibus, pie humiliterque petitis, munitus, aliisque Catholicae pietatis editis indiciis, decimo octauo morbi die inter poſtremam occidentis Anni ∞. Io c LXXIX. & primam renaſcentis horam, noſtris Religioſis de more aſtantibus, ſupremasque preces legentibus, quod maximo ſibi ſolatio eſſe aſſerebat, uitam abſoluit, cuius

cuius corpus in noſtra pariter Eccleſia, in qua ſepulcrum delegit, & quod omni haereditate (quam, etſi tenuiſſimam ut eius amoris argumentum, maximam ducimus) pretioſius nobis eſt, conditum fuit.

SCRIPTA:

De Cauſſis Febrium malignarum. Anno 1649.
Euclides reſtitutus Anno 1658.
Notae ad Apollonii Pergaei Chronicorum V. VI. & VII. Lib. Anno 1661.
Theorias Mediceorum planetarum 1666.
De Vi percuſſionis 1667.
Hiſtoria Incendii Aetnaei Anno 1669.
De motibus naturalibus a grauitate pendentibus Anno 1670.
Opera Archimedis 1679.

IX.

In Obitum

Perquam Reuerendi Amplisſimi & Clariſſimi

VIRI

CHRISTOPHORI SCHRADERI,

Praepoſiti Bergenſis & Eloquentiae in Academia Iulia Profeſſoris Ordinarii celeberrimi & Scholarum per Ducatum Guelphicum Inſpectoris Generalis,

Anno cIↃ IↃ c LXXX. d. XXIV. Aprilis pie beateque defuncti

ORATIO

habita d. XXI. Maii in Iuleo

a

MELCHIORE SMIDIO, P.P. Ord.

Magnifice Dn. Pro-RECTOR, ſpectabiles Dnn. Decani,

VIRI

Maxime Reuerendi, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Clariſſimi, Profeſſores omnium Ordinum celeberrimi. Dnn. Fautores & Collegae maxime honorandi. Pl. Reuerendi Dnn. Paſtores. Et tu aetate, animis, uirtute ac eruditione florentiſſime ſtudioſorum Iuuenum caetus.

SI, quam facilis eſt nobis mortalibus ad uitiorum ualles, ignauiae barathrum ſocordiae abyſſum deſcenſus, tam ad uirtutis, eruditionis ac rerum praeclare

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [150] - 130

clare geſtarum apicem penetrare foret in procliui; Defunctorum optime meritorum iacturam deplorare, eorumque poſt obitum memoriam celebrare, eſſet ſuperuacaneum. Nunc autem cum non niſi una ſit ad honores & gloriam accedendi uia, laboris ac ſudoris plena, animus uero noſter a b hoc alienus procliuior ſit ad uoluptatem, lubidinem ac mollitiem, ideoque praeſtantium uirorum ſemper fuerit, ac futura ſit magna penuria, ſane quoties Reſp. inſigni priuatur uiro, merito lugemus, & ob illius a nobis diſceſſum animis triſtamur. Gentilium ueterum, reuelatum diuinum uerbum ignorantium exempla monent nos, ne ſine elogio & laude eiusmodi magnorum uirorum obitus ac memorias, praetermittamus, non ſolum, quod excellens uirtus, cuius beneficia, tam publice quam priuatim nota ſunt, hoc mereatur: uerum etiam quod hiſce aeterni nominis praemiis, aliorum animi ad ſimiles labores ſubeundos uel ſuperandos accenduntur. Quo quis enim eſt mente generoſior, ueraeque laudis auidior, eo magis & intentius alterius eadem uia ad ſummam gloriam graſſati uitam ſpectat, eius conſilia, tanquam cynoſuram, obſeruat, & inſtituta inſtar praelucentis facis, ſectatur. Quorſum haec mea tendat oratio, Auditores honoratisſimi, facile uobis eſt uidere. Dies ſunt non ita multi, quod illuſtris haec Acad. Iul. Viri Ampliſſimi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [151] - 131

& per integrum fere ſeculi ſemiſſem de ea optime meriti, iacturam fecit. Fatis nimirum conceſſit. Vir maxime Reuerendus & Ampliſſimus CHRISTOPH. SCHRADERVS, Praepoſitus Bergenſis, Eloq. in hac Acad. Prof. Publ. & Scholarum in Ducatu Guelphico Inſpector Generalis, Ordinis Philoſophici Senior, Iuliae noſtrae decus ſolidisſimum. Cuius obitum iam luget non ſolum nobiliſſima *Schraderorum & Stuſerorum* familia, ſed & merito luget haec noſtra Academia, Senatus cum ciuibus eius. Luget Ducatus Brunſv. & Lunaeburgenſis, lugent Scholae eius curae paternae quondam commiſſae, lugent coenobia quibus praefuit, luget noſtra, cuius iuuentutem ſuaui uoce docuit Germania, luget denique uniuerſus, quem gloria ſua compleuit, literatus orbis. De huius eximii uiri uita & obitu uerba iam facere pietas me iubet, cogit uirtus eius illuſtris, quae, quicquid a me laudabile dici poteſt, ſibi uindicat. Athenae aequisſimis quondam legibus florentes, hoc inter alia obſeruarunt, ut ſi parentum ſepulchra a filiis non eſſent rite curata & ornata, id in liberorum notabile uergeret detrimentum. B. SCHRADERI noſtri uirtus ac praeſtans eruditio iam XX. annis amplius eſt, cum ita me cepit, ut eum uirum parentis loco colendum ac uenerandum mihi propoſuerim; cumque illius ſepulchrum aliter ornandi copia non eſſet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [152] - 132

esset, hoc inculto, minimeque SCHRADERIANAE Eloquentiae simili sermone funus eius prosequi uolui, debui. Vtinam ea mihi esset loquendi facultas, quam illius eximia merita flagitant. Sed ueniam saltem, si non gratiam, Auditores, spero a Vobis, si pietate erga defunctum, peccauero. Equidem operam dabo, ut in manipulo porrigam quae plenis horreis dispensanda essent, & signis potius, quam uerborum ampullis, quae ingenuus animus meditatus est, indicabo. Quod dum facio, me beneuole ut audire uelitis, summopere & quam officiosissime vos rogo atque obtestor.

Ab incunabulis itaque mihi ordiendum puto, & quamuis absque ambage atque alienae laudis mixtura ad illum de quo sermo est faciendus, sit properandum, nullo tamen breuitatis studio adduci possum ut parentum SCHRADERI nostri mentionem hic non faciam. Patrem habuit IOANNEM SCRADERVM Gottingensem, uirum non minus doctum quam pium, qui Graecae pariter ac Latinae Linguae non uulgarem habuit peritiam, quarum Linguarum amorem & existimationem ueluti per generationem nostro SCHRADERO uidetur tradidisse. Integritatis ac probitatis eius argumentum non exiguum est, quod, cum meliorem Spartam occupandi aliquoties occasio oblata esset, maluit tamen Ecclesiam sibi commissam *Rethmariensem* nimirum

rum in Ducatu Lunaeburgenſi, uerbo Diuino & pietatis exemplo annis quinquaginta duobus regere ac tueri, quam ſui emolumenti gratia alio migrare. Hoc patre & HELENA ROLICHIA natus eſt noſter CHRISTOPHORVS SCHRADERVS paullo ante primam meridianam d. 28. Octobr. qui Michaëlis Archangeli dicitur, Anni milleſimi ſexcenteſimi primi eo in loco, quem ipſe ſua eruditionis gloria illuſtrauit. Patriam namque ſuam non claram accepit, ſed fecit. Vt quae futura ſit tempeſtas uultus aurorae ipſo diluculo indicare ſolet, ſic uoluit natura ut ex ipſo huius puelli adſpectu eius indoles eluceret, & ſciti corporis decorem a longe pulchriore anima ſuperatum iri, monſtrauit. Non irato genio fatoue ſiniſtro natus erat, uultus eius maſcula uenuſtas, & frons lata apertaque candoris ueritatisque praeſagia erant, oculi clari ac maiuſculi olim cautionis ac prudentiae aliquod ſacrarium hic fore proteſtabantur. Forma licet feminas potius quam Viros deceat, ingenuus tamen uultus, quo magis omnibus patet ac in promtu eſt, cum interiora naturae dona tegantur, eo utilior & certior eſt commendatio. Eluxit paullo poſt ſingularis eius indoles & ingenii uigor. Parens itaque pago illo Scholam filiis ſuis erudiendis idoneam non habente, nono ſtatim aetatis anno una cum fratre natu maiore miſit noſtrum in Scholam Cellenſem, cuius diſci-

discipulus fuit per septennium, eosque fecit Graecae & Latinae Linguae addiscendae profectus, quos cum inde discederet, sine commendatione & elogio Scholae illius Rector M. Iacobus Eberhardus, dimittere non potuit. Relicta itaque hac Schola anno huius seculi XIIX. Hannoueranam una cum fratre adiit, in qua triennii spatio, auscultando stylumque exercendo id est assequutus, ut Philosophica capienda sese maturum esse omnibus probauerit.

Annos itaque natus XX. in hanc illustrem Acad. Iuliam tanquam bonarum artium & liberalium scientiarum frequentem mercatum uenit, Museum in aedibus Berkelmannianis, mox uero Calixtinis nactus. Quamuis autem modici census parentem suum esse sciret, ut eius sumtibus non ex uoto illum quem proposuerat scopum attingere posset, Deo tamen confisus, noluit quicquam quod ad solidam eruditionem comparandam faceret, omittere. Etsi Linguarum optimarum notitiam aliquam attulisset, non tamen existimauit sese temporis iacturam facere si ueterum euoluendis optimis scriptis ingenium pasceret. Praeeunte igitur *Rudolpho Diepholdo*, Graecorum praestantissima scripta antiqua legit sedulo, & ex iisdem ea quae aliquando uel in Schola uel in Ecclesia dicturo utilia esse possent, in locos suos ueluti ἀποθήκας diligenter reposuit formicae instar & apis futuri

turi temporis memor. Vt enim hic liberalius aut parcius sementem feciſſet, ita aliquando meſſem futuram non uane augurabatur.

Eloquentiae autem ſtudiis ſeſe commiſit auſpiciis *Chriſtophori Heumanni*, qui cum uberrimo Ciceronianae facundiae flumine acutam Senecae breuitatem commode coniungendi uiam praeiuit, & iam ex huius, iam uero illius ſcriptis optimas particulas decerpſit, quibus dextre expoſitis, alia domi eodem modo legendi exempla dedit. Ab hoc Oratore praeſtantiſſimo didicit noſter Eloquentiam non ſolis uerborum floribus abſolui, ſed ex uariarum rerum notitia imbuto animo orationem efficacem aut ſcriptum aetatem ferens efflorescere. Huius eximii in dicendo Magiſtri ueſtigia ſibi premenda exiſtimans *Nicolao Granio* Suedo, ſiue Naturae arcana aperiret, ſiue optica traderet, ſiue Matheſin grata breuitate doceret, ſedulo auſcultauit. Qui Periclem fulminare, tonare, coelum cum terra miſcere dicendo potuiſſe aſſerunt, ex Democriti Schola naturalium rerum peritiam in concionem attuliſſe dicunt.

Rationis diſciplinam, qua mens in rerum cognitione dirigitur, Conrado Horneio tradente, accurate didicit, eodemque maximo cenſore & Doctore morum uſus eſt ad ea Philoſophiae praecepta imbibenda quibus uita noſtra regitur ac gubernatur.

Non

Non uero erat ignaua opera, Philoſophi ſententia, ſed ut uita exprimeret quae animo complexus erat uitae prudenter inſtituendae praecepta, operam dabat. Non ſubſtitit hic uiuida ingenii SCHRADERI acies, ſed ad ſummam illam coeleſtes theſauros nobis recludentem Sapientiam, reliquis ſcientiis facile ſuperiorem, Theologiam dico, animum appulit. O inſignem felicitatem qua DEI prouidentia Te mactauit SCHRADERE! quem non excitabat eo tempore ſummi illius uiri G. Calixti fama & gloria? Cuius oculis ueternum non excutiebat incredibilis eius labor ac diligentia? Quis erat uitae tam profligatae, quam huius uiri, ut & B. Horneii candidi mores, & ſanctiſſima uita non redire feciſſent ad frugem? Illius ab ore pependiſti integrum quadriennium, ſacrae Scripturae arcana referantem, intricata & obſcura explicantem audiuiſti, Prophetias Eſaiae, Ieremiae & Ezechielis clare exponentem percepiſti. Nec temere ab eius, ſiue priuatis ſiue publicis Scholis emanſiſti. O auſpicatum tuorum ſtudiorum primordium. In hiſce uiris reperiſti (quod Tullius filium ſuum in celebri Athenarum urbe nanciſci optabat,) *probae uitae egregia exempla*, & diuinarum atque humanarum rerum *ſcientiam* eximiam.

Sicut cetera liberalium artium ſtudia pleraque hiſce duobus uertuntur cardinibus,

breuiore nimirum & ſimplici quadam fundamentorum traditione, qua tanquam in ſynopſin ueniunt quae fuſius alibi tradita; & deinde accurata, operoſa, longioreque pertractione. Ita ſtudium Theologiae utroque modo adgreſſus SCHRADERVS, amplisſimum totius ſacri codicis campum Henrico Iulio & Ioanne a Fuchten praelucente, iniit; Epitomen, uero Chriſtianae doctrinae ſumma capita ordine complexam, Calixtinam, diligentisſimo ſtudio comprehendit. Singulis enim Mercurii diebus ab hora matutina ſeptima ad XI. portio quaedam illius Compendii Diſputatorio, ut loquimur, examini ſubiiciebatur, cuius moderator & arbiter erat ipſe libelli illius autor, quem ita totum diſpertiti erant, ut ſemeſtri ſpacio commode ad finem perduceretur. Hoc factum eſt a SCHRADERO modo defendentis, modo oppugnantis partes habente per integrum fere quadriennium. O compendioſam & ſaluberrimam, ſi quid ego iudico, feliciter diſcendi uiam! Quid mirum ſi hanc induſtriam cum uitae innocentia & morum ſuauitate coniunctam, praeceptorum, omniumque bonorum fauor, & ſtudioſorum ciuium applauſus excepit? Labor ac uirtus uiam ſibi facit ſocordiae & ignauiae incognitam & inacceſſam. Matthias Ouerbequius, ineuntis huius ſeculi uere Moecenas Magnificus, in ſtudioſorum uſum quotannis non exiguam pecuniae ſummam diſtribui

bui tabulis Teſtamenti ſui iuſſerat, quam uoluntatem heredes exequutiß. Cornelio Martini & G. Galixto curam dederant diſpiciendi ut non niſi in dignos hoc collocaretur beneficium. Huius itaque commendatione factum ut SCHRADERVS illa liberalitate, in hac ipſa dum adhuc uiueret Academia gaudere ceperit. Commode autem accidit, ut bello grauiſſimo has regiones infeſtante, tum etiam ſaeua peſtilentiá ingruente a Matthia Querbequio Matthiae Filio patrono ſuo in Hollandiam tanquam aſylum tutiſſimum auocaretur.

Iam itaque, Auditores honoratiſſimi, uela nobis ſunt facienda, ut per Oceanum in Belgium abeuntem SCHRADERVM comitemur. Inſtructus ille à B. Calixto commendatitiis ad Patronum ſcriptis, Hamburgum petit, ibique ſalutatis Petro ac Iuſto Querbequiis Matthiae fratribus natu maioribus; a quibus humaniſſime exceptus eſt, nauem conſcendit uentoque ſecundo Amſtelodamum appulit. Ibi tum Vir Generoſus & Nobiliſſimus Ioachimus a VVickefoort, qui Academiae Iuliae paullo ante ciuis fuerat, SCHRADERVMque nouerat, obuiis, quod aiunt, ulnis, tantaque animi laetitia excepit, ut non ſolum dextras copularint & amicitiam per totum poſtea uitae ſpacium ſancte cultam firmauerint, ſed etiam ille hunc omni ope Lugdunum ad Querbequium perueniendi inſtruxerit.

Fauſto

Fausto itaque omine uenit Athenas Batauas disciplinarum & bonae mentis arcem nobilissimam. Cumque suarum ingenii uirium ipse censor acris, minimeque sibi suffenus esset, Querbequium timide accessit, ueritus ut magno suo fautori & Patrono mediocritate eruditionis suae satisfaceret. Verum longe aliter rem euenire statim intellexit, quippe Querbequius cognitis eius moribus sane quam commodis, uitaeque totius instituto accurato, & eruditione, qualis in iuuenem cadere possit, plane eximia, adeo eum amplexus est, ut priori suae liberalitati nouum addiderit cumulum. Namque talis ipsi quotannis erogabatur pecuniae summa, ex qua quaecunque ad honeste ibi uiuendum studiorumque telam pertexendam necessaria erant, ipsi suppetebant. Hoc itaque in illustri Athenaeo, Academiarum omnium ocello, nostter procul ab omni uoluptate corporis ac deliciis illis ad quas & locus & aetas poterat inuitare, unice delectabatur continuatione eorum studiorum quorum iam in Acad. Iulia primordia ceperat. Nactus ibi praeceptores & Doctores *Dan. Heinsium*, *Gerhardum Io. Vossium*, Gilbertum Iachaeum, Constantinum l' Empereur, Andream Riuetum, VVillebrordum Snellium, Franconem Burgersdicium, Iacobum Golium, proh! quantos in eruditione, quamque celebres uiros! quos uel uidisse tantum, nedum

nedum audiuiſſe, pulchrum atque glorioſum erat. Atqui horum doctiſſima informatione & inſtitutione qua publica, qua priuata uſus eſt noſter per integrum ſexennium. Nec ſatis habuit haurire ex illis doctrinae theſaurum; cepit alios partim exemplo ſuo excitare, editis ſpeciminibus Academicis, partim docere, in coetu nimirum Lutherano uerbum DEI ad Auguſt. Confeſſionis normam proponendo. Inter literarum ſtudia quae ipſi in medullis ueluti haerebant, excoluit enixius Ebraicas & illius gentis antiquitates. Tinxerat ipſum harum literarum aliqua peritia in hac IVLIA Chriſtoph. Hunoldus; uerum in Lugduno-Batava & informatione Conſtantini l'Empereur & Guilielmi Coddaei penitus illis eſt imbutus. Acceſſit Iudaeorum quorundam familiaris uſus, ex quibus Dauid de Haro, Luſitanus, Medicinae peritus quem in Rabbinicorum librorum lectione praeceptorem, in Logicis Scholis diſcipulum habebat, ut mutuas ſibi docendi ac diſcendi darent operas. Quamuis non deeſſent, qui utiliora urgeret ſtudia, monebant; accendit tamen cum ad Ebraicam eruditionem penitus capiendam B. Calixtus; qui, qua ratione aliquando eius Linguae docendae prouinciam in hac Academ. obtinere poſſet, per literas ſubinde monſtrabat. Vt igitur eo felicius proficeret ab Hebraeis pariter ac Chriſtianis erudiri expetiuit.

Vſus

Vſus propterea eſt Leidae familiariter R. Ioſepho del Medico Cretenſi, qui Medicinae inſignibus erat cohoneſtatus. Amſtelodami ſalutauit Rabbinorum noſtri ſeculi longe doctisſimum Menaſſen Ben Iſrael, editis ſcriptis clariſſimum. Anno ∞.Ioc XXVII. per trimeſtre ſpatium Hamburgi degens, cum Rabbi Dauid Haccohen de Lara Synagogae ibidem Antiſtite, qui ſcriptis plane eximiis aeternam nominis ſui famam condidit, familiaris uſus interceſſit. Hoc modo uelis remisque, quod aiunt, id facile pertinaci labore aſſequutus eſt, ut & Rabbinorum ſcripta intelligere & Sacrorum uoluminum libros omnes quouis tempore interpretari ſciret. Quamuis autem ſors eum ad aliud munus poſtea detulerit, non tamen deſtitit has ſuas delicias occaſione data reuiſere, atque ea, quae iuuenis didicerat, alios docere. Annus iam agitur XXI. cum, Ebraicis in hac Academia Iulia nullo publico doctore aliquamdiu traditis, SCHRADERVS noſter rogatus a quibusdam ut priuatas Scholas illius Linguae aperiret, qui, ut erat facilis, annuit petitis. Ecce autem tantus factus eſt auditorum concurſus, quaſi Palladium aliquod coelitus decidiſſet. Et quia domeſticum ἀκροατήριον non capiebat numerum Ebraiſantium, Iuleo hoc, nouo & maiore auditorio uti cogebatur, cuius ſubſellia pleraque omnia occupabantur, meque etiam in illo numero fuiſſe non ſine uoluptate

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [162] - 142

ptate recordor. Sed redeundum nobis est in Belgium, unde digressi, ubi iam tum fama notus erat noster ob peritiam Ebraicae Linguae, unde occasio orta ipsi primum in notitiam, postea etiam in familiam D. Ducis VVürtenbergici Roderici, Celsissimi Dn. Iulii Friderici Filii perueniendi. Vt animalium omnium infirmissimum est homo, & laborioſa eius educatio; sic inter homines Principum educatio est longe difficillima, nec cuiuis temere committenda. Salus populi a Principis uita, Principis salus ab educatione dependet. Prudentissime huic Iuuentutis Celsissimo Principi prospectum erat, duobus Ephoris praestantissimis datis, qui curam educationis & informationis haberent, quorum alter Vir Nobilissimus Melchior Schyk, Silesius, qui, praeter Mathematicas scientias, Iuris peritiam indeptus, uariarum Linguarum erat callentissimus, SCHRADERI nostri operam in addiscenda Ebraica expetiuit, quam & ipsi lubens addixit & praestitit ea dexteritate, ut ab Ephoro recte informato & docto, SCHRADERVS ad ipsum Principem informandum duceretur. Hic Rodericus laudatissimus Princeps, ita uoluntate Celsissimi Dn. Parentis ductus erat, ut praeter uernaculam, Hispanicam tantum calleret Linguam. Existimauit autem Generosus D. Ioannes Rauch, Nobilis Tyrolensis, primarius eius Ephorus, recte atque ordine ferì

insti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [163] - 143

institutionem si Latinae Linguae tanquam reliquarum matris & uerisimi fontis, notitia praemitteretur illis hodie usitatis, Hisp. Italicae, Gallicae addiscendis. Eius igitur tradendae caussa adhibebatur SCHRADERVS, qui quotidie horam instituendo principi dabat, qua in re ita sese probauit illis omnibus, ut mox in Principis comitum numerum adscisceretur, & curam simul haberet eius in religionis Christianae capitibus, fundamentis illius doctrinae, ex qua salus aeterna nascitur, recte informandi.

Iam tempus esse putauit liberalitati Ouerbequianae gratias agere: Quamuis ita illum uirum sibi deditum habuisset, ut manifesto appareret singularis eius beneuolentia uel ex eo, quod cum reliqui, non nisi per sexennium eo beneficio fruerentur, ipse per integros nouem annos eo erat gauisus, nec desperaret fores liberalitatis porro sibi patere posse; noluit tamen eius insigni beneuolentiae molestus esse, aut aliis impendendas pecunias ullo modo praeripere. Resignato itaque illo beneficio patronum suum Ouerbequium, grati animi promissione, quem etiam quamdiu uixit, praestitit, colens discessit.

Cum annum uertentem in Academia Lugduno Batana cum Principe suo egisset, informator eius domesticus, Hagam Comitum, quam Belgii foederati παντιώνιον elegan-
ter ipse uocare solitus, commigrarunt, ubi, quae

quae ad uaria publica negotia pertinebant caute ſciſcitatus ex iis, cum quibus uiuendi copiam erat nactus. Deinde per reliquum Belgium iter faciens cum Principe, optimas illius regionis urbes & munimenta non ſine uoluptate perluſtrauit. Tandem Anno clo Io cXXXII. ut ſecundum DEVM, patriae imprimis ſeruiret, in clariſſimam ſuam Iuliam reuerſus eſt. Ibi uero B. G Calixti aedibus ac conuictu uſus ita ſe geſſit, ut aliquot nobilium Iuuenum informatio & directio illi committeretur; quos quidem non ſolum ad ueram eruditionem hauriendam fideliſſime manuduxit, ſed etiam moribus & uitae inſtitutis ita formauit, ut illi ſuum emolumentum, hic uero gloriam inde reportauerit. Et iam ea quae diuturno ſtudio, nec leui labore in omni eruditionis genere erat aſſequutus, cum aliis communicare animus geſtiebat. Cumque gratia ualeret apud Ordinem tam Philoſophicum quam Theologicum, facile obtinuit facultatem priuatis Scholis apertis ea docendi, quae & hic, & alibi ab optimis Praeceptoribus acceperat, & quae propria meditatio ſuggeſſerat. Erat autem in SCHRADERO noſtro ſuada quaedam ſingularis, quae eius labris inſidens orationem omnem ſic ornabat, ut memoriam auditorum utiliſſimis impleret rebus, & incredibili quadam uoluptate ſimul eorum animos perfunderet. Docentem itaque ſummus Iuuenum ſtudio-

ſorum concurſus & omnium applauſus eſt ſubſequutus.

Vacabat eo tempore commodum Eloquentiae & humaniorum literarum Profeſſio, cui capeſſendae cum idoneus uiſus eſſet omnibus, a Senatu Academico Sereniſſimo Duci Brunſuic. & Lunaeburg. DN. AVGVSTO eo nomine Anno 1635. ut merebatur, fuit commendatus. Quod quidem eo euentu factum, ut ſtatim ſub finem illius anni Sereniſſimi uoluntate illa Sparta ei ſit data, quam & ſolemni, pro more, oratione habita, initio Nouembris auſpicatus eſt. Quanta autem induſtria quantoque ſtudio mandato munere functus ſit, fidem forſan ſuperaret ſi recenſere uellem. Teſtes appello quotquot eorum ſunt in uiuis qui eum circa haec tempora audiuerunt, cum genua eius uirerent, ingenium floreret, memoria uoto reſponderet, humanitas autem & caritas omnium ſpem ſuperarent. Incredibilem certe expectationem, ſtudium ſingulare, fauorem omnium, tum propter egregios illos praeceptores, ex quorum Schola prodierat, tum ſuo merito & ingenio, quoties prodibat docturus, in cathedram ſecum afferebat. SCHRADERVM audientes, Ciceronem ipſum aut ſi quis eo melior gratiorque unquam dicendo fuit, ſeſe orantem audire credebat Iuuentus. Sequente anno non alia de cauſſa quam quod ita conueniens eſſet ſuo muneri, quod gere-

gerebat, d. IV. Febr. praemisso, de more, examine, bonarum artium Magister & Philosophiae Doctor in hoc illustri Iuleo publice a M. Henr. Iul. Schurleo Moralium P. P. renunciatus est. Indefesso hinc studio in id annixus est, ut Iuuentus Academica ad eam quae omnes decet qui eruditionis nomine censeri uolunt, eloquentiam, ordine duceretur. Ideoque iam exponendo ipsa dicendi praecepta, non certe ex recentiorum lacunis & male sartis centonibus, sed ex ipsius Aristotelis, summi illius sapiendi & dicendi magistri auro contra non aestimandis monimentis. Iam dicendi tyrones suos ducebat in florentissima ueterum Eloquentissimorum Oratorum exempla, & artificium, uel in Ciceronis orationibus, uel in Historicorum utilissimis scriptis, exerto quasi digito monstrabat. Hisce traditis, ne tantum praeceptis nudis memoriam onustam haberent, nec aliorum orationes & artificiòse contextos sermones sterili intuitu considerarent, manum operi ipsos admouere iussit, ut inuentione ex Aristotelicis praeceptis abunde hausta, Eloquentiae formam ab optimis scriptoribus ad imitandum propositis desumerent, & sic ueterum aemulatione ad laudabilem dicendi scribendique facultatem peruenirent. Hunc ille laborem semper in circulum reuertentem subinde iterumque repetebat, cum non laboris species, sed tantum auditorium mutaretur,

atque ita hoc Sisyphi saxum perpetuo uoluebat. Magna haec industriae, fateor, sunt argumenta, sed audietis, honoratissimi Auditores longe maiora. Quia styli exercitium omnis eloquentiae praeludium ac progymnasma est, exercitatio autem illa sine labore, quem plerumque omnes fugimus, fieri nequit; hinc accidit interdum doctissimis & fidelissimis praeceptoribus, ut non tam sua culpa, quam discipulorum inertia aut ignorantia soli relinquantur in suis scholis; Imprimis cum hodie multis sit persuasum, non summopere necessariam esse eam dicendi facultatem, quae priscis temporibus, & quidem Romae, fuit quaesitá. Hinc alii difficultatem illius rei superare desperantes, alii cum contemtu illarum festinant ad ea quae ipsis utiliora & propius ab usu quotidiano remota uidentur. Verum haec omnia SCHRADERO nostro parum uel nihil obstaculi praebebant. Is enim hoc tanquam palmarium multarum artium tradendarum artificium, & forsan multis incognitum tenebat, & feliciſſime exercebat. Nimirum in omni sua doctrina id operam dabat ut non solum, quae tradebantur, auide ab auditoribus arriperentur, sed ut semper plura addiscendi uoluntas constans ac perpetua in illis aleretur & conseruaretur. Nouerat beatus Senex ingenium humanum, imprimis adolescentum & iuuenum, non semper posse intentum esse serioque agere, sed instar

ſtar arcus remittendum ſi ſcopum ferire uelis, & hac in re infantibus ſimile eſſe, cum quibus niſi ludas, nihil agis: ideoque ut ingenia retineret attenta tantundem operae, ſi non amplius, ad delectandum quam ad docendum impendit. Hoc igitur efficiebat; ut ludibundi diſcerent ea, quae alias nunquam didiciſſent. Refert Laërtius, Diogenem, cum de uirtutibus ac uitiis eleganter diſſeruiſſet, non reperiſſe auditores, ſed cum concinna ac lepida uoce cantillare cepiſſet, magno numero diſcipulos confluxiſſe. SCHRADERVS nec cantillabat, neque quod non ita pridem factum alibi meminiſſe poſſumus, aliquid nunquam uiſum, mirabile, ſeſe monſtraturum promittebat, & dein, oſtenſo *nouo cultro*, auditorium in riſum conuertebat: ſed longe meliore ratione ac modo noſtris moribus ac temporibus magis conuenienti demulcere aures & animos, quorſum uolebat, flectere nouerat. Argutis nimirum modice inſtar ſalis dapibus aſperſi, iocis & riſu, hoc obtinuit;

Nam temperatae ſuaues ſunt argutiae,
Immodicae offendunt.

Latinitatis purae, antiquae, ac Romanae, licet religioſiſſimus eſſet, & in emendandis iis, quae a dicendi ſtudioſis ciuibus corrigenda exhibebantur, oculatiſſimus; aliorum tamen ſcriptorum non erat tam rigidus cenſor, aut moroſus ſugillator, ſed ipſe potius ſuo exemplo recte ſcribere ac loqui

docebat, quam ut gauderet alienorum laborum censorem agere. Hoc enim ab Humanitatem professo quam alienissimum esse putabat, & illud uitii, quod hodie huius generis hominibus nonnullis qui Scholas regunt uel regere affectant, familiarissimum est, abominabatur. Nempe sub antiquitatum singularis scientiae praetextu *tumidi, indeque tristi supercilio seueri, uultu tetrico austeri, ut suis terrori aliis odio sint, quorum imperitia nihil imprudentius, ignorantia nihil arrogantius; qui cum ipsi desipiunt alios decipiunt, ut hinc tam discentium quam docentium miserrima fiat conditio.*

A tali charactere noster erat quam longissime remotus, omnes humanitate alliciebat, affabilitate & modestia uincebat, utili colloquio ac prudenti sermone superabat. Haec cum nemini non essent nota, Sereniſſimorum Ducum ac Principum nostrorum sapientissimo consilio factum est, ut huius Ducatus Scholarum ei committeretur inspectio & demandaretur uisitatio. Vt ipsi Scholarum illarum praeceptores hasce singulares uirtutes, omni bono adolescentum informatori perquam necessarias, in ipso SCHRADERO, tanquam uiuo exemplo, uiderent ac cognoscerent, cognitas amare inciperent, amatas sectarentur & adipiscerentur. O felices illas Scholas, quorum praeceptoribus talia uitia non sunt familiaria! Qui non minus pietatem, religionem,

gionem, quam morum elegantiam & prudentis uitae instituta tradere norunt!

Verum haec Rhetoricen & artem dicendi & docendi spectant, uideamus quid ipse dicendo praestare ac efficere potuerit. Atqui uero demonstrauit Orator noster saepissime artem illam dicendi minime uano ausu tradi ac doceri, neque Oratoriam facultatem in naturali quadam loquacitate, sed in grauitate rerum aequali uerborum pondere ac efficacia prolatarum consistere.

Testem appello hoc illustre Iuleum, quoties SCHRADERVS illud uoce suauissima ita repleuit, ut omnium auditorum si non manifestus, tacitus tamen & cum admiratione sequutus sit applausus! Testes illius eloquentiae propemodum diuinae uos ipsa haec sedilia & scamna appello, quoties auscultantium & ab ore eius pendentium concursu & numero fracta fuistis. Testor uos omnes, qui non ita pridem in solemnissima Iubilei nostri festiuitate huc confluxistis, uicinos, hospites, amicos aut inimicos, an non Nestoris illius nostri prudentissimo sermone summopere sitis delectati, animis commoti, affectibus abrepti?

Sed ne uestra abutar beneuolentia, Auditores honoratissimi, haec mitto, ut, quae domi egerit noster quantum potest, uideamus. Bono omine duxerat Anno XXXVII. VIRGINEM MARGARETHAM STISSERIAM, Viri maxime Reuerendi & Nobil.

Signatur: Leibn. Marg. 148, [171] - 151

DN. ERNESTI STISSERI SS. Theol. L. in hac Acad. Profeſſ. Publ. Eccleſiarum S. Nicolai B. Virginis & S. Gangolphi in ciuitate Magdeburgenſi Canonici, filiam ex priori matrimonio unicam, hodie uiduam moeſtiſſimam, quae exoptatiſſimum ei fecit matrimonium multaque prole faecundum, in qua educanda, cum eſſet potiorem partem maſcula, non minorem induſtriam & diligentiam, quam prudentiam, ac ueluti educationis artem, demonſtrauit. Filios nimirum cum haberet nouem, non omnes parili genio aut ingenio natos, omnes ita inſtituit, ut admirationem non paruam cordatioribus attulerit. Quippe ad unum omnes utiliſſimi Eccleſiae & Reip. euaſerunt uiri, absque omni degenerandi uel minima ſuſpicione. Eſt aliquid illa ſors naſcendi, ut Academiae hoſpitium habeas patriam. Conſtat enim Academiam eſſe honeſtae uitae palaeſtram, ſed magis prudenti artificioſaeque educationi paternae hanc ſuam felicitatem ſeſe debere & fatentur ipſi filii, & res ipſa accuratius perpenſa clamitat. Namque hic apparuit non in lingua tantum eius nataſſe praecepta ſapientiae, ſed in ipſum opus atque effectum deducere illum potuiſſe, quae aliis ſuaſerat & quorum auctor extiterat. Cum enim hanc ad rem ſingulari genio natus & ueluti dote quadam naturali a DEO praeditus uideretur, excitati paſſim ſunt plurimi uiri nobiliſſimi, qui & filios

ſuos

ſuos apud ipſum educari peterent, aut, ſi id obtinere non poſſent, educandi conſilium ab eo flagitarent. Non ſolum igitur ſeorſim domi educandae prolis ſaepe inſtituta ſua cum aliis communicauit, uerum etiam Scholarum recte & utiliter aperiendarum rationem prudentiſſimam quoties deſideraretur praeſcripſit.

Non ſine bono publico factum, quod Generoſus & Nobiliſſimus Dn. IOSIAS a VELTHEIM Ephoriam alumnorum Velthemianorum ipſi commiſit. Hic enim dexterrimus ingeniorum arbiter, ne indignis illa beneficia conferrentur prudenter cauit, & ne otioſi fuci pecuniam perderent, ἐργοδιώκτης fuit uigilantiſſimus.

Singulares autem gratias agit Tibi o beate ſenex, Bibliotheca Academiae noſtrae, cuius curam XL. annis fideliter habuiſti, bono ordine, indemnes omnes libros quos olim habebat Bibliotheca conſeruaſti, & acceſſione aliquot centum thalerorum pretio aeſtimanda auctiorem reliquiſti: Et quidem ne friuolae chartae nullius pretii uel exiguae frugis libri congererentur, ſed ea quae communi uſui ſeruirent, prudenter curaſti. Illa de cura, de tot moleſtiis & laboribus in publicum bonum, bene tibi ſit in aeternum, Tua *molliter oſſa quieſcant!*

Quemadmodum autem Spartam ſuam uiua uoce tot annis exornauit, ita de poſteri-

ſteritate etiam fuit ſolicitus. Vox enim ad paucos emanat, libri uero & diutius & pluribus utilitatem praeſtare poſſunt. Quanquam uero ſedulo & ſingulari methodo ipſe ex aliorum operibus excerperet optima quaequae, & alios eandem methodum doceret, unde facillime dein poterat ex eis quae collegerat depromere & in uſum publicum diuulgare; minime tamen praecox aut praeceps in hiſce fuit, ſed Horatiani praecepti memor, premebat opera ſua ſi non diutius, ſaltem nonum usque in annum, niſi forte Orationis publice habitae aliud poſtularet conditio. Aeternitati ſeſe ſcribere cogitabat, nec ex numero eorum erat, qui ſingulis ſemeſtribus non ſolum manus legentium ſed & librarias tabernas ſuis deproperatis, parum duraturis libellis implent. Iudicabat idem quod Domitius Piſo, teſte Plinio, *libros theſauros eſſe debere.* Et talem reuera eſſe equidem ſine adulatione arbitror Commentarium in Rhetoricam Ariſtotelis, quem ſiquis non librum ſed uerum prudentiae & eloquentiae theſaurum dixerit, nihil a uero alienum dixerit. Diuturno enim uſu obſeruata hic reperiuntur, quae iuueni ſenilem aliquam inſpirant prudentiam, ut (quod familiare ſolebat eſſe dictum beatiſſimo Seni) ex lectione huius libri poſſit *laudabilis fieri adoleſcens, in quo aliquid, & multum quidem eſſet ſenile.* Probat hic Commentarius abunde, quibus cogita-

gitatis fuerit deditus; Solent alias uel antiquos Codices emendare, uel origines uocum curiosius rimari, qui huiusmodi studia ab humanitate appellata, accuratius tractant. Noster autem etsi talia studia non parui fecerit, nec ullius laborem laudabilem spreuerit; maluit tamen in ea studium ac laborem suum conferre, quae longe, saltem hodie, sunt utiliora. Nec alterius sunt commatis reliqua eius scripta uniuersa, quae iam recensere, tanquam uobis notissima, supersedeo. Quo autem sunt pauciora, eo plus habent momenti & ponderis ad ueram eruditionem. Vtinam autem ea quae affecta seruantur plurima, in posterum lucem adspiciant publicam, *de Excerpendi Methodo*, de Ordinatione scholarum & alia egregia beati uiri meletemata, quae quidem ut publico bono non inuideantur, equidem heredes obnixe rogo.

Sincerae pietatis infucataeque religionis fuit exemplum, aliique ut fierent omni ope ac studio laborauit. Sancta ipsi Scriptura optimum erat enchiridium ex qua, quaecunque in calamitatibus, aduersis & tentationibus depromi possent instar armorum, quibus Diabolo resistitur, dicta efficacissima descripsit, ut instar pugionis ad manum semper haberet. Corpore a Deo donatus erat firmo solidoque, (licet non nimis procero) sanitate constanti, nisi quod non ita pridem ferme quotannis febricula tenta-

tentaretur. Sesquiannus est cum apoplecticis affectibus labefactari cepit, ex quibus indies magis magisque deficientibus uiribus, imbecillior factus, tandemque XXIV. Aprilis uespertina hora VII. dilectissimo creatori suo inter preces & suspiria tam adstantium quam propria DEO creatori, Seruatori & Sanctificatori suo animam reddidit. Vixit beatus Vir ut probum, pium, Christianum decet, charitate erga omnes insignis, humanitate doctrina & uirtute summis pariter atque imis gratus acceptusque. Serenissimis Principibus nostris omnibus, prae reliquis Sereniss. Dn. AVGVSTO glorioss. memor: qui inter alia clementiae signa, Coenobii Bergensis Antistitem eum esse iubens, non exigua dignitate & honore eum mactauit, Dn. RVDOLPHO AVGVSTO eiusque fratri Dn. ANTONIO VLRICO, Ducibus Brunsu. & Lunaeb. Dnn. nostris clementissimis adeo charus, ut non solum dum uiueret, modo non omnia ipsi indulgerent sed etiam Gratiam suam & Clementiam post beatum eius decessum erga heredes pariter ac maestissimam uiduam illustribus Viris suo nomine qui exequias irent, clementissime missis, nudius duodecimus luculenter comprobarent.

Felix igitur uitae tuae SCHRADERE curiculum fuit. Felicior ex uita discessus. Beatum te, terque quaterque beatum! qui iam remotis omnibus corporis animique molestiis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [176] - 156

ſtiis, ea intueris & uides, quae, ſi daretur ad nos reuerti, uerbis exponere non poſſes. Nunc liberatus ab omnibus malis, noſtra haec terrena, noſtras tenebras in clariſſima luce poſitus deſpicis ac contemnis. Nos, ſicut te uiuentem amauimus & coluimus, ita memoriam tui chariſſimam iucundiſſimamque merito deinceps conſeruabimus!

SCRIPTA:

Tabulae Chronologicae
Epiſtola ad Sereniſſ. & Celſiſſ. Principem ac Dn. D. FERDINANVM ALBERTVM Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem, interpres nummi Iudaici.
Commentarius de Rhetoricorum Ariſtotelis ſententia & uſu.
Liuianarum Orationum XVIII. Analyſis Rhetorica.
Diſpoſitiones Epiſtolicae.
Oratio in Viſitatione Academiae Iuliae habita.
Oratio in ſtudiorum Academiae inſtauratione habita.
Oratio funebris FRIDERICI Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis.
Diſpoſitiones Oratoriae.
Hypotheſes Oratoriae ad Io. Sleidani de ſtatu Religionis & Reip. hiſtoriam, in eloquentiae uſum contextae.

Ora-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [177] - 157

Oratio cum Academiae Iuliae Magiſtratum iniret.
Oratio in obitum D. Georgii Calixti.
Oratio in obitum D. Conradi Horneii.
Programmata ſelectiora.
Oratio ſecularis, cum ſeculum ſuum primum finiret Academia Iulia.
Diſputationes de gratuita per fidem iuſtificatione. De Conuenientia & Diſcrimine Oratioriae ac Poeſeos etc.

X.

Oratio de Vita & Obitu

IOANNIS PAVLLI FELVVINGERI,

Academiae Altdorfinae Senioris, Logices ac Politices Profeſſoris ibidem celeberrimi, nec non Stipendiariorum Noricorum Ephori grauiſſimi, habita

a

IOAN. IVSTINO ARNSCHVVANGERO, Phil. Candidato.

MVlta ſane debemus antiquae Romanorum & Graecorum prudentiae, quibus illa, partim ad eruditam uoluptatem, partim ad laudabilem imitationem, ſe nobis non ſine magna gloria commendauit. Enim uero, (ut ſilentio omnia

omnia inuoluam, quibus uterque alias populus ceteris gentibus palmam praeripuit) me tantum occupo in allegandis ritibus eorum ac moribus, quibus funera ornare amabant, quorumque unum & alterum ab his mutuatum merito adhuc tenemus atque colimus. Plurimas autem ceremonias defuncto olim corpori adhibebant, idem ungendo, pollinciendo, lauando; procurabant praeficas, libitinarios, ac uespillones; Suppeditabant ueſtes, ornamenta atque coronas; funus erat uſitato ritu collocandum, publice efferendum ac ſepeliendum, mox in cinerem, cum fragrantiſſimis odoribus, unguentis ac liquoribus redigendum, quod inferiae, epulae, luctus, poſtremo celebrandi, excipiebant. Sicut tamen multi horum rituum, & praeter hos alii plurimi, non parum gentilis ſuperſtitionis redolebant, debentes incunabula populis noſtrae ueritatis Sacramentum ignorantibus; a Romanis etiam & Athenienſibus in quantum iis communibus uſi ſunt, non uno ſeruabantur modo; ita nullus tam ſapienter excogitatus, nullus tam ſano omnium iudicio approbatus & exercitus occurrit, quam qui orationibus in laudem defunctorum habitis, Valerio Poplicola auctore, Romae uel cepit, uel inualuit. De hoc Plutarchus cum Dionyſio affirmat, quod Brutum, poſito in foro eius corpore ſuper lectum

lectum ſplendidum, & populo ad concionem conuocato, atratus ibi laudauerit. Inde poſtea, quicquid funebris huius moris erat, Romani ſtatuerunt, Graeci ſuis addiderunt, utrique cum diſcrimine propagarunt. Illi enim omnibus Viris Claris, Rempub. armis, arte & conſiliis iuuantibus, honorem hunc decreuerunt, opinati laudabiliter, ob totius actae uitae uirtutes, elogia tandem deberi; hi uero bellicam ſolum mortem commendaſſe uidentur, & quidem extra Athenas, in loco Ceramico dicto, quod ex una uirtute, quae in ipſa morte apparuerit, uiros bonos iudicabant. Nos diuerſitatis ratione nihil commoti, ad rectum potius inſtitutum reſpiciamus, quod ſapientia, pulchritudine, & quidni etiam neceſſitate ſua? in hunc usque diem durauit ac perſtitit, cum uix ac ne uix quidem, praeclaro aliquo Reipublicae decore e terris emigrante, illud ullo magis quam hoc uinculo, ad uitae & morum exempla contineri queat. Digniſſimum itaque eſt, quod poſteritas ſciat, quam blandum ad aeternitatem inuitamentum fuerit tota uita magni FELVVINGERI, cui lacrymas noſtras cum Muſis praeficis non ita pridem impendimus. Eiusdem Venerandi Senis nunc ego ſepulcrum dicere iuſſus, non uideo, quomodo ſupra laudatos Romanorum mores imitando, iisdem non potius obſtrepam. Requirebant nempe illi Oratorem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [180] - 160

rem, qui defunctos uel sanguine accedebat; sic Tiberius de Patre, Fabius de Filio, orationem habuit: uel eloquentissimum eius aetatis Virum; ita Cornelius Tacitus Syllam, Cicero Crassum, Hortensium & Sulpitium laudauit: horum uero neutram conditionem apud me inuenio, nisi ut pro sanguine beneficiis, quibus omnes literarum cultores Beatus obligauit, cum ipso me coniunctum arbitremini. Quare accuretis una cum me ultimum hoc officium, uel saltem attentione uestra & fauore meum ne deseratis, qui immortalitatem, quam possum moerens merenti breuiter contribuam.

Inutilis & superuacanei laboris negotium, non pauci sunt, qui existimant, funebres Panegyricos a Patria inchoare, cum hac uane superbiant fere, quibus natale solum nihil, quam mater eaque saepe infelix existit; sicut uicissim egregie inculpati ii, quibus nihil praeter hoc potest exprobrari. Non enim tam refert, illustris urbis ciuem esse, quam eadem se dignum exhibere; non unde natus aliquis sit, quam qui sit, adeo meretur laudem, ut uel Themistocles, si Seriphius fuisset, ignobilis non sit habendus. Obscure itaque splendescere uidentur, qui natiuitatis loco gloriantes ipsi degenerant, plus sibi tribuendo, quam reddunt: quanquam etiam pondus habent, quae Simonides, referente Ammiano Marcellino,

cellino, iudicabat: Bene perfecta ratione uicturo debere ante alia patriam esse glorioſam. Et quidni robur trahant a cultiore loco & regione, quae inde proueniunt hominum ingenia? Sunt haec certe agri inſtar, qui in Fauonium ſpectans uentum, & Soli oſtentus, ſuapte natura melior euadit & foecundior. Hinc in praelio caeſos Pericles laudauit, quod Patriam, Athenas nacti fuiſſent, cuius idem Reipublicae formae ſumma non minus praeconia detulit. Nos quo piaculo Noribergam noſtram diſſimulabimus? cuius laudes non ego, ſed qui grande epos molitur, expediat, cuique totus uixit Beatus noſter, nullus ſibi. Dixerit quis non immerito, hanc illi ideo natales impertiuiſſe, ut ſibi in eo mille commoda naſcerentur. Dixerit item, illum ſibi minimam ſui partem uindicaſſe, ut eo maiorem Patria uindicaret. Vno uerbo: Soli beneficium in illud ipſum impendit. Felices ergo Parentes, a quibus in hanc lucem editus Anno ∞.Ɔ c VI. d. XVI. Aprilis, Patrem ſortitus IOANNEM FELVVINGERVM, Marchionatu ſuperiore innatum, & tabernarium; Matrem CATHARINAM SCHVVARZIAM, ambos ex honeſtiſſimis familiis, oriundos, utut non maioribus adeo, ac in eo poſteris clareſcentes. Hinc licet familiarum nomina, ceu Romanum morem Seneca exprimit, non longo ordine, & multis ſtemmatum illigata flexuris appareant;

non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [182] - 162

non tamen haec naſcendi conditio Noſtro fuit minori decori & honori, ac ſua olim Agathocli, Socrati, Euripidi, & aliis, quorum omnium genus ab ipſis incipiebat, in aliis ſaepe deſinit. Aliena laudat, qui genus iactat, niſi ſimul generoſo intus ſpiritu agitetur, & cum animi ſui dotibus, ſibi hoc uſurpet. Iam aliena, quanto minus propriis praeſtant, tanto dignior admiratione cunctos tenet, qui in ſuam ipſe gloriam uiuit, etiamſi uel pauperior cum Demoſthene pater, uel uilior cum Aeſchine mater eidem contigerit. Nec uice uerſa filius ſublimioris conditionis parentes humiles obſcurat, ſed potius aeque lucem illis praebet, ac artificiola umbra picturae alicui decus, aeque decus, ac umbroſus ramus arbori ſuae gratiam conciliat & pulchritudinem. Id ipſum uero celeberrimus ſenex beneficio ante omnia piae & proſperae educationis, qua fruitus eſt, in parentes transmiſit, quae cum multum faciat ad ſtruendum ſibi felicitatis faſtigium, ita ceſſit haec etiam eo felicius, quo facilius ex ligno Mercurius erat ſculpendus. Rapuit magnetica hac uirtute inter alios animum Auunculi ſui Honoratiſſimi, Dn. Pauli Schvvarzii, Reipublicae Noribergenſis id temporis, (ut uocant) Secundicerii, qui bonae indolis indigentia allectus ſeſe cognato miro ſtudio fruendum praebuit, ut uere laudabilis felicitas fuerit, dum conſiliis & obſequio hinc inde certatum.

Iuſtum enim mouebatur dubium, an cura in Patrono conſpicua fauorem, fauor beneficium, beneficium, promtitudinem excederet, ſicut ambigebatur, in cliente, an amori cultus, cultui placendi cupiditas, huic ſtudium demerenti praeualeret. Suaſu igitur laudati Viri, cui noſter, ceu dixi, multum debuit, & debere uoluit, mitti cepit in publica uirtutis & doctrinae Seminaria, & primos eosque uberes profectus fecit ſub felici ungue Dn. M. Ioannis Schirmeri, tertiae Claſſis Sebaldinae Praeceptoris, poſt Laurentiani Rectoris, qui Scholis ſuis tam fideliter praecepit fundamenta artium, ut eo inter coelites recepto, & Succeſſore denominato Dn. M. Georgio Schroedero, hunc diſcipuli bonae frugis prouentus adeo illexerint ad amoris mutui coagulum, quo non ſolum de optimo ingenio ſpem conciperet opimam, uerum & eximium in eo fidei & induſtriae ſuae ſolitae monumentum conſtitueret. Atqui probe tinctus hac ratione Graecae & Latinae Linguae elegantiis (cuius utriusque ſtudio, ex mente Caſelii, potiſſimum continentur, quibus animus, oratio, mores, uita denique hominum egregie politur, & diuinitus perficitur; imo ut idem ille habet, Muſarum arculae ſunt, quibus theſauros ſapientiae ipſae reconditos cuſtodiunt) docilitate ſua inuitauit qua Parentes qua Cognatos, ut de capeſſendis ſolidioris ſcientiae augmentis illi impoſterum

rum prospicerent. Inuitati uero hac ratione, ut quibus nihil antiquius erat pueri utilitate, morem gesserunt amori & religioni, eumque delecto huic fini Altdorfio, tunc Gymnasio & Academia perinde claro, Anno ∞. Io c XXIII. d. I. Maii, adeoque ante Vniuersitatis priuilegia publicata, Dn. Christophoro Speccio concrediderunt, cuius moderamine secunda classis eo tempore fruebatur. Hic tam pulchros profectus fecit, ut Anno ∞. Io c XXVIII. ad publicas Lectiones extraordinarie admitteretur, pollens ingenii tanta celeritate, qua alios instudiis excitare potuerit, ut animos suos per hunc tanquam molissima cote laeuigarent; addo quod nihil fere praeposteri fuerit, exigere ab eo iam tum maturum fructum, cum arboris instar germinare primo uere inciperet. Neque dubitaret de hoc alius, nisi qui segregem eum ab ingenti laude uelit facere; qua fretus ad Argentoratense iter tunc post Petro-Paullinum festum se accinxit, & prouectiora sua ac Helicone non indigna studia doctis comprobans, simul audacium in hoc negotio temeritatem reiecit. Praeterquam enim, quod recte arbitratus est, Iuuenem debere cum flumine congruere, quod ubi intra stagnantis aluei angustias coërcetur, putredine corrumpitur, ubi brachia uariis ripis allidit, limpidius fluit & dulcius: noluit etiam amore uirtutis extra patriam trahi, nisi in ea se-

mentem prius rerum optimarum intelligentia, fecerit, unde fructus uirtutis felicius ita metere posset. Praestolatus ergo faustum successum instituti sui, pro hoc cladis nonnihil sensit a tristi illa Homeri Ate, orbem hunc nescio quomodo magis celeri pede quam candidae Litae, perambulante, ut in uicem, quod de colendis Musis satageret Aesculapio litare necesse habuerit, dum breui ab aduentu suo modo maligna febri implicitus modo alii aegritudini obnoxius, a fine intercludebatur, quem pari uel fiducia uel laude sibi tenuit praefixum. Interim fama aduersae huius ualetudinis in patriam peruolante, immoderata Parentum anxietas non potuit in ipsis acriorem sitim accendere, ferendi aegroto suppetias, quam penetrantiorem ex eo dolorem acceperunt, quod loci interuallo ab effectu prohiberentur. Quare nullum campum, sumtibus praesertim oppido deficientibus, ad operam quantulamcunque uidentes, consilium inire coacti sunt de filio domum reuocando, ne uel solatio remotioris eorum uigilantiae plane posset destitui. Obtemperauit is etiam retrahentibus fatis atque auidis suorum amplexibus obuersus, mox dein eam recuperauit sanitatem, ut ueluti Antaeus aliquis, qui

ab ipso

sumit opes animumque casu,

e fugiente malo emergeret. Tum uero, obtenta pristina quiete, primum de Musarum

rum caſtris cogitauit, & cum ad ea denuo ſectanda nullus commodior Altdorfina locus appareret, haud ſecus electioni eius, ceu benignae ante hoc nutricis ſuae, pronus ipſe fuit, ac Patronorum monitis ſimiliter adiuuabatur. Exceptauit haec quoque antiquum hoſpitem ſummo cum gaudio, quemadmodum maximo cum ardore is telam ſuam retexuit; habuit nullam eruditionem uenalem, quam non ſcopo ſuo utilem hic mercaretur; potuit nullis utilibus praeceptis ſcaturire, quae non auidus animo ſuo imbiberet; protulit nullum uirtutis Alumnum in medium, cuius ueſtigiis conſignatae uiae non inſiſteret; nihil magnum, nihil exaggeratum in ſinu eſt complexa, ſemper in eo cum excelſis ingeniis deſudauit. Nec aliter hic totum pene biennium emenſus eſt, ubi cum noua ſtudiorum ſede hanc iterum commutare duxit. Non poterat non audire ſubinde de immortali gloria, quae ſuper aethera notam excelluit illuſtrem illam Ienenſem Vniuerſitatem, cuius tantae celebritas ipſum ſtimulabat, ut interiora eius ad ita intrare concupiuerit. Reſpondit deſiderio euentus Anno ∞. Io c XXVII. quando deſtinatum eo iter licuit illi ſuaſu omnium & applauſu ſuſcipere. Et non opus erat tunc, ut Toxaris aliquis Anacharſim moneret in itinere, quod hic per Graeciam inſtituit, ut Solonis rationem haberet, qui ſolus ſibi eſſet ſatisfacturus, quod

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [187] - 167

Graeciam totam complectebatur. Sponte enim FELVVINGERVS, & quasi naturali inclinatione cum doctis est uersatus; quid? quod Anacharsin etiam fortuna sua anteiuit, incidendo ibidem non in unum Professorem, in quo Solonem uel plus eo, poterat admirari, uerum in aliquot certe, & quidem in Danielem Stahlium, a quo in Lares pariter & conuictum est receptus, Hieronymum Praetorium, Paullum Schleevogt, Ioannem Maiorem, Ioannem Gerhardum, Ioannem Himmelium, aliosque, qui omnes & nomen sibi excitarunt e seculo aeternaturum, & illi mella sua, tanquam Diuina uirgula Doctores designati, omni cura suggesserunt. At etiam seruiebat ille tam opportunae pro se occasioni, quippe praeter debitam obseruantiam, quam auctoratus his totus, ad aram humanitatis eorum sacrauit, nullam patiebatur sationem abire, cui non agellum animum offerret, nullam messem, unde non in horreum colligeret, nullos labores, quibus non optatum fructum consequeretur. Imo fere nondum diuelli potuisset a meritorum Praeceptorum latere, nisi post exactum Ienae triennium illic affectare uoluisset Bellona diuisum cum Musis imperium; quam ob rem ut pedem reflecteret maturius patroni & agnati illi auctores fuerunt. Obsecundauit hortatibus ipsorum, praesertim cum eam gloriam mantica conditam afferret,

quam

quàm e tergo in pectus reiicere, atque laetis etiam Parentum & Patronorum amplexibus posset offerre, quanque ipsam aliquis non parum temeraret, cui suauiter adhuc in Philosophiae aditis ille quieuisset, cum in ea iam sedes domicilii fixit, metendaeque laureae fere fuit proximus. Scilicet in patriam reuersus, quasi apis uariorum florum succo grauida undique delibato, quin uiae sibi a seruato ueteri amore ad pristinum Hymettum, Altdorfium, expeditae inhaereret, non poterat non fieri facile; uti etiam paullo post optima uirium fiducia nixus concinna diligentiae proemia quaesiuit, quaesita obtinuit, & uelut unio tandem ex matrice concha prodiuit. Sane non mediocriter eruditionem eius, qua erat iam tum singulari, commendauit, quod iuxta cum aliis duodecim Candidatis, aditu ad Honoris, uti appellant, Magisterialis templum sibi facto, primum locum rite exornabat; si tamen hoc mirum uideri debuit, dum ante semper in studiis secundi gradus impatiens fuerat. Vnum hoc infaustum atro notandum lapillo est, Panegyrin, quam uocamus Petro-Paullinam, tunc solemni Magistrorum creandorum actui destinatam, praepeditam fuisse classico a Furiarum, maxima incento, ut hinc eodem momento clauderetur Musarum palatium, quo Iani fanum pandebatur. Sed successit mox intercalata solemnitas, ipsa adhuc bello-

rum turbine correpta, quando Apollo (cuius alias toto coelo distat ratio & Martis) subsecuto anno seculi tertio & trigesimo, mense Ianuario, ea indixit halcyonia Parnasso, quae palmam in medio positam nouis Magistris concesserunt, literatorum iustam tristitiam subleuarunt, & excussam pacem uelut e fuga consistentem ad commune solatium repraesentarunt. Atque decoratus hoc titulo FELVVINGERVS totus postea in eo fuit, ut dignitatem factis aequipararet, ne uirtutum & diligentiae suae torrens honore, ut obice, uideretur repressus. Ea propter ad aliora enixurus se iuuare imprimis censuit, si ingenium uel explicaret, uel excoleret in Helmstadiensi Vniuersitate, quam sub istud tempus perfundebant clarissima luce Celeberrimi Theologi, Georgius Calixtus, Conradus Horneius & Paullus Müllerus, a quibus & aliis ingentium & animarum sideribus, tantum luminis auditor mutuauit, quo de non uni deinde ipse accendit. Nam Theologiae inter philosophandum eam operam dedit, ut, qui profectus eius animo complecteretur, uix fieri potuisse crederet, ut aliquod unquam tempus alii studio impenderet; quemadmodum qui de ciuili sapientia differentem ipsum audiuerit, sibi facile persuaderet, eum nihil aliud tota uita, quam Philosophiam tractasse. Ex utriusque igitur doctrinae genere ad literati orbis decus contendens,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [190] - 170

tendens, magnos illos Praeceptores ſuos in altiſſima ſpecula pari animi ardore ad culturam & amorem ſui reddidit intentos, ut, cum e patria Caeſareo exercitu circumfuſa ſolitis adiuuari ſubſidiis nequiret, triſtem eius fortunam conſiliis & opera promiſcue temperauerint, nec prius a cura ſua deſiterint, quam eum commendaſſent Viro Nobiliſſimo & Perſtrenuo, Dn. Iulio Auguſto de Streithorſt, a quo Rottdorffii liberis ſuis praefectus eſt bonis artibus imbuendis, atque primum peritiae ſuae cum aliis communicandae proſpero ſucceſſu periculum fecit. Abdicauit uero paullo poſt ſe ea conditione, & Halae-Saxonum iuxta cum affectibus Dn. Samuelis Ritteri, Prouinciae Magdeburgenſis Syndici & Scabinatus Aſſeſſoris, duos quoque nobiliſſimos adoleſcentes, Guolffgangum a Brandenſtein, & Carolum a Diskau, in fidem ac informationem ſuam conferri paſſus eſt; quos, ut bonis moribus, ſic & elegantiarum literarum interiore cognitione inſtituit, ut laudum ſuarum materiam, decora ingenia, procuderet. Impeditus ſolum metu belli fuit, quo minus & hac ſede diu ſe reficeret. Cum enim non unus exercitus, Caeſarianus, Suecicus & Saxonicus caſtris inſiderent oras illas, & multa, Halenſi imprimis ciuitati, adiacentia loca non finerent eſſe ſecura, inde ſe tempeſtiue proripere, tutioremque domum uiam per Helmeſtadium inire iam in

in animo habuit. At uidete Diuini Numinis prouidentiam, quod commodis rei literariae in patria augendis prius destinauerat ipsum, quam ex inquietatis bello terris eo refugium meditaretur. Vacabat inspectionis Alumnorum Noricorum functio, eamque curae eius ideo uoluerunt demandare Patres Conscripti, quod excultae indolis fama clarebat, quae circumlata hactenus dudum meruit in eo centro quiescere. Et certe nihil fugit eum, quod perceptione dignum fuisset; nihil inexpertum reliquit, in quo statuisset sibi esse elaborandum; admirabiles, difficilesque scientias instar rupis proruptae superauit, & quod magis fuit, ea iunctim uniuersa possedit, quae in sublimibus naturis singula solemus mirari. Ipsa hac inexpugnabili eruditionis illecebra totum cepit animum Generosi & Magnifici Dn. VLRICI GRVNDHERRI, tunc Septem-Viri & Proto-Scholarchae; cuius benigniore indultu cunctatus nonnihil ab exteris reditum est, donec locis a se lustratis etiam Hamburgum adiecerat, ipsa experientia auctus, quae cum multiplici in eo scientia contendit. Exorsus deinde spartam suam, omne quod in expectatione fuit, adimpleuit: a magisterio eius literae ac disciplinae, uelut reddita iuuentute, efflorescebant, Musasque olim in contubernium admissas nunc in splendorem is asseruit; doctum se monstrauit, sed & in explanandi facul-

facultate dextrum, ne iuxta secum aliis faceret iniuriam, ubi contemplationis sibi succo uiuens ingenii thesaurum infidelis fuisset delitescere. Annus secundus agebatur, ex quo adscitus in hanc prouinciam affulsit, ecce oblata alia debebat frui, quae eum ab Academia auocatum Ecclesiae inaedificandae uindicaret. Superintendens opus erat Illustrissimis & Generosissimis Dnn. Baronibus, hodie Comitibus, in obern Sultzburg; cumque uiciniores FELVVINGERI nomen tanto pleniore tuba accepissent, simul praeconia admirati exarserunt ad aequam cupidinem, ea ipsum dignatione circundandi, quae cura & auctoritate illorum aliud nouum caput exspectabat. Huc ita desideratus; noluit, nec temere debuit, fortunae increscentis suae ductui repugnare; solum, ne ingratus ullo modo peccaret, rei etiam successum in consensu Incluti Senatus Noribergensis posuit, tunc ex sola hac prouidente moderatione noscendus, quod ad alta, uitaeque genus aliud, natus esset, id quod felicibus mox astris eripuit, quando recens oblatum munus deprecatus, priorem stationem indefesso continuauit studio, donec breui post Publici Professoris titulo merito ornabatur suo. Vbi enim Clarissimo & Excellentissimo Dn. M. Ioanni Kobio, Logices & Metaphysices Professori Publ. summo cum Doctoris honore iuris fatorum interpretatio decernebatur

batur, isque dicatus iam Imperialibus institutionibus, professione altera Metaphysica sponte abibat. Nostro rariore sorte usu sic uenit, ut superiorum nutu ei succederet in officio, sub cuius aegide olim solemnem disputationem defendit. Nec nisi tantum antecessorem habere debuit, quo, sicut per Genium huius docti iurarunt, aeque eum digitis monstrarent, omnium uirtutum exasse haeredem, quas ille tam insigni celebritate exercuit, ut in eo uno literarum proceres quaesiuerint, quod in toto pene orbe erudito passim uenerabantur. Respuat uero laudes suas, si potest, etiam inuitus accipiet ob merita, quae cum laborum honorumque incrementis aequaliter creuisse oportet. Nuncium uix miserat Alumnorum inspectioni, cui inter adiectas occupationes integrum adhuc annum satis fecit, insuper in humeros suos aptata est, ut quibus optime sederet, cura tantum non diuinae artis, Logices, cuius magna uis & utilitas nisi iam per omnes scientiarum partes fusa manasset, hic eam manare fecisse uideri potuisset. Sed & praeter usum, quem egregie docuit, una discentium uota alio paucis communi dono aequauit, uidelicet, cum illis subtiliorem hanc doctrinam, & ob id austeram nonnullis, blanda quadam methodo, tanquam suauissimum nectar, propinauit, ut & impressum ei perspicuitatis characterem apprime intelligerent, & ipsi

hoc

hoc lumine ducti non incerti uagerentur, aut more coecorum andabatarum pugnarent. Imo quantus Logices Magiſter fuerit, illi ſciunt, quos contra uſus eſt in ſcriptis acuta ſua, qua polluit, ſolertia aduerſitatis indagationem, eaque bona fide ab ipſis hoſtibus celebrata, qui dum clades ſuas occultare neſciebant, ſimul eruditum eius ac fortem ratiocinandi modum commendarunt. At non ingratiores operas Metaphyſicae dumetis uepribusque locaſſe cenſendus eſt, quod uel ſola haecce plena urna laureas ei ſtatuiſſet, ſi non utriusque ipſum indiuiduae manerent. Scito eas & plane ſororio nexu adminiſtrauit, unde facile & iucundum fuerit uidere, quam poſceret alterius altera opem, amice conſpirando; prout etiam, perinde ac faſcis illius ſenis, non in ſingulis bacillis, ſed in omnibus uinculo coniunctis, unita in ui ſcientiarum robur ſolet conſiſtere. Hoc amplius, quod iungenda bene iungeret, ſimili cura ſeparanda ſeperauit. Non uerborum quaeſtionumque minutiis grauiſſimum Metaphyſices pondus fregit: non illorum; quod exceſſum huius rei adeo iuſte deuitauit, ut, quemadmodum Hercules, cum obſeruaret in templo ſtatuam Adonidis, Veneris deliciarum, indignabundus dixit: *Nil ſacri es*; ita Herculeus hic literarum pugil in rebus potius attentus, huiusmodi lautitias nihil dubitauit commodiori loco relinquere:

non

non quaeſtionum ; quod plane inſipidum duxit eorum morem, qui omiſſis perſpicuis argumentis, comparationibus & exemplis, minutos quosque ſcrupulos eximunt, captiunculas expediunt, dubitationes ſoluunt, & uix generalia non perperam tradentes, ubi ad diſtinctiones deciſionesque uenitur, Scyllae fabulam hoc in Philoſophiae genere exprimunt, quae ore tantum & pectore formoſam uirginem proferens, pro foecundo utero ad uitae humanae commoda, in portentoſas & latrantes quaeſtiones deſinat. Gignitur inde accuratiori huic diſciplinae id quoque detrimenti, quo tanta ueritas, ceu illius eſt, propter motas circa eam controuerſias multorum fere contemtui fuit obnoxia, non ita abſurde exiſtimantium, eos errare omnes, qui nunquam inter ſe conuenire poſſunt. Longe in aliud Noſter incumbebat, cui praeſertim non fuit difficile ducere uia facili & iucunda ad cuiusuis rei, quae ſcientia comprehendi poteſt, notitiam, qua ſibi fixam in Muſarum regno ſedem conciliauerat. Hoc unum deerat felicitati eius & literarum, ut operaretur illi pariter Philoſophiae, quae uitae dux, ueritatis indagatrix Ciceroni dicitur, ſine qua non modo nos, ſed omnino uita hominum eſſe non potuiſſet: quae urbes peperit, quae diſſipatos homines in ſocietatem uitae conuocauit, quae eos primo inter ſe domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & uocum

iunxit

iunxit communione. Huic igitur disciplinarum Reginae, Politicae, Procerum uoluntate, commodauit prudentiam & dexteritatem suam, quouis doctorum ordine, totaque Republica admirante, quae talium adsuetudine, & quadam confluentis eruditionis facietate nihil didicit admirari. Maximum autem studium eo circa istam prouinciam detulit, ut generosam patriae spem sobolemque regnaturam iis praeceptis intimius imbueret, quibus non uni atque alteri, sed plurimis, imo Reipubl. omni, inseruire, hanc institutis, legibus, bonis moribus, fundare, fundatam conseruare, conseruatam augere atque amplificare, felicem denique reddere & florentissimam ualeret. De optima Rep. ac Ciuitate septem Graeciae Sapientes diuersas aluerunt opiniones, adeo ut illam Solon censuerit optimam, in qua iniuriarum auctores, tam illaesi quam laesi, in ius rapiant, ac puniant; Bias, in qua Legem, tanquam aliquem tyrannum, uniuersi formident: Thales, inqua nec diuites, nec pauperes ciues reperiantur. Cleobulus, inqua reprehensionem magis, quam legem, metuant subditi: Anacharsis, in qua non opes, sed uirtutes spectenter: Pittacus, in qua boni tantum magistratum gerant: Chilo denique, in qua Legibus maxime, minime Oratoribus, praebeatur audientia. Haecce talia Prudentiae Politicae placita, & longe plura,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [197] - 177

tam alta mente depromsit FELVVINGERVS, ut ea uel docendo uel scribendo in utroque excellens fuerit, ubique admirandus, nusquam sui dissimilis. Sane quod de Themistocle inflatum ualde sonuit, cum rogatus in conuiuio, ut citharam pulsaret, respondit: Fidibus canere se nescire; ceterum posse oppidum paruum in magnam ciuitatem euehere; id modestiore ueritate Nostro liceat applicare, qui etsi grauioris huius momenti nihil sibi sumeret, tamen non facile ignorabat. Quare solo Politici nomine plura merita, quam dies numerans, aeternum de hoc studio merere dignus fuisset. Sed uero affectauit maiorem in modum, ut qui esset non aequiore in Musas quam liberos amore, uidere etiamnum uegetus Filium suum charissimum, IOANNEM IODOCVM, V.I. Doctorandum, strenuum in hoc munere successorem, quod imprimis illas nullam mutuatione hac iacturam pati arbitrabatur. Sciuit, quid Filii uiribus confidendum, sat eas non ipse modo, sed cum toto Lyceo exploratas habens; sciuit, quid prouinciam posset ornandam iuuare, si ad frugales suas curas, quas nunquam pro eodem negotio plene remitteret, uiuus assuefaceret filium, quo terras aliquando destituere coactus, in eo tanto maiore uiuacitate, feliciorisque Parentis exemplo, supereresset. Interim uero poterat accidere quid magis inopinatum? It in uanum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [198] - 178

num uix exortum gaudium, luctusque obiicitur grauissimus, qui laeta professionis auspicia feralibus moestis funestaret, nec uulgarem paternae exspectationi dolorem circumponeret, quemuis etiam peregrinum nedum nos, incopiosas lachrymas tristi sua attrectationae soluturum. Eheu! dulcioris gratulationis loco, quam a posteritate, filium miratura, optimus Parens in antecessum cupiebat lucrari, offensus in hoc solo est a filio, quod susceptam semel spartam turbato mortalitatis ordine reddebat; quanquam & cordolium istud aeque moderato cum Anaxagora animo tulerit, qui audita morte filii, Nihil, inquiens, mihi in expertum aut nouum nuncias, ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem; ueri & imperterriti Philosophi encomio retinetur. Atque notari hic debet mira utique uicissitudo, qua aliquot ante annos Metaphysica, Logica breui ante obitum, abscedens, e cunctis Politicam, postquam denuo in eam rediuit, semper fama comite prosecutus est, donec labefactatus hic unitatis contextus fatali diuisione totus dissolueretur. Id unum cum dispendio uiri huius coniunctum esse rei literariae conducit, quod tamen duabus hisce ueluti consecratum caput donatus sit Excellentissimus Roetenbeccius, Gener Beati non magis quondam exoptatus, quam tantorum studiorum felicissimus propagator; qui cum iis non

quidem nouo foedere inito, iamiam praedare excogitat, quomodo non Socerum tantum referat, ſed ingentium meritorum fulgorem adaequet, memoriam FELVVINGERI in ultimas usque terras porrecturus, ut quo celebritatis illius pondus non peruenisſet, uirtus ſua aemula penetraret; cuius etiam amabili ui ab iniqua obliuione uindicaretur, ſi quando ulli eius monumento ſuprema dies immineret. Neque metus eſt mihi, ne a me quicquam auribus ſuis dari credatur, recepto iam more Patronis aſſentandi, ſi publice hic agnoſco, me non unum apud eum nomen diſpungendum habere, quorum magnitudo uel inde appareat, quod ſola beneficii profeſſione poſſit exſolui, utut pro modeſtia ſua & eandem neget celebrari. At enim uere amens ego, qui rem attingere audeo, cui uix ex inſtituto par tractando eſſe poſſem. Abducendus eſt animus a legitimo hoc obſequio ad ipſum Defunctum, de reliquo nuncio liberiori uitae remiſſo, ſucceſſu maritali contemplandum. Subiit coniugii leges cum Virgine Gratiis ſuis incomparabili, Anna Catharina, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Excellentiſſimique Dn. Chriſtiphori Heldii, ICti & Reip. Norib. Conſiliarii primarii, filia; cuius decoram bellisſimi corporis faciem hinc animi forma, centum hinc aliae pulchritudines honeſtabant, ob quas, biennio abhinc, & quod excurrit, fato functa,

cta, lacrumoſum ſui deſiderium reliquerat. Ex iſta, ſine iurgio, ſine offenſa, ſororis inſtar a FELVVINGERO amata, octona prole felix pater factus eſt, & quidem terna maſculina, quina foeminina; quibus deinceps floribus immiſſi Auſtri eam, partim ipſo uere, partim altiore aetate ſtragem dedere, ut ſolum duos periculum amiſerit, Annam Mariam, Perquam Reuerendo & Clariſſimo Dn. M. Ioanni Guilielmo Reinsbergero, Happurgenſium Paſtori Vigilantiſſimo, & Catharinam Sibyllam, modo laudato Rötenbeccio nuptiarum pacto uinctas; quarumque ex illa uarios nepotes & neptes deoſculabatur, ſicut non minus ex altera nepte, qua eum filia natu maxima Clara Catharina augebat, Proauus proneptem conſpexit. Gratulanda eſſet haec ei felicitas, ſuis quoque acerbis permixta, niſi potius mors eius, quo tandem delabor, iunctis ſimul totius eruditi orbis ſuſpiriis conquerenda. Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem, etſi nullus difficilior poſſit iniungi! Iactatus in iuuentute FELVVINGERVS crebris morbis, ab iis in ſenectute, quae ipſa eſt morbus, multo minus erat liber, ſed nunc catarrho ualido, linguae uſum ſufflaminante, nunc recidiuo, modo eryſipelate, modo alio conflictatus malo, ſingulis peculiarem ualetudini cladem afferentibus, ac ſemper iterata cum uice inualeſcentibus, illam tantum

non ſubiit afflictionem, ut plane a tuendo ſuo officio impediretur, cui etiam inter ſalutis diſcrimen ſaepe uacabat. Nihil quippe aduerſi patientiam eius laefit, cum, turbinibus fortuitorum calcatis, aduerſus ea conſtante durauit propoſito, quo pro moleſto aut graui quicquam non habebat. Certe calamitates miraculum faciunt aliquem, naturam ſuperando; tale in eo merito comploramus ereptum, qui quod in acupictis eſt, lucidioris coloris imago, iis, uelut ex opaco magis ſtamine, tota uita praefulſit. Itaque nullis anguſtiis, ſoli fato ſuccubuit, cuius neceſſitatem exponere ſenſit nouum aegrorem tenaciore alui profluuio uires eius breui depopulantem, ut de quantulacunque colligendi eas ſpe conclamatum ſit. Triſti coniecturae triſtior ſuperuenit euentus anni exſpirati (1681.) die 23. Octobris, quando in mortis poteſtatem omni, quod mortale acceperat, dato, uitales auras, pias inter preces Dn. Generi, Filiarum, Neptis, & quorundam ſtudioſorum, media tertia pomeridiana liquit, atque hinc in communem locum placide commigrauit. Leſſus ei, naeniae & mortualia fiebant, neque ſepulchrum eius ulli adhuc indefletum uidemus. Lugent Muſae ac uirtutes utriusque chori Coryphaeum, quas, ipſis earum ſacris tanquam Iupiter Stator, labentes iamiamque caſuras hactenus ſuſtinuit, ut famam eius iisdem fere ac Solis ter mi-

terminis circumſcripſerint, dolentes illud ſibi obſtare, ne plenum & ſolidum conſequantur ſolatium, quod, dum luce fruebatur, hanc non omnes magni ingenii ſui foetus aſpexerunt. Lugent omnes, qui literis cenſentur decus & ornamentum, ſiquidem non tantum intelligunt ſcriptorum eius praecellentiam, quam multitudinem exquiſitam mirantur, cuius neruo, licet in ea ſecula incidat, in quibus uix ullum, quod non dictum ſit, dicatur, tamen exiſtimatio ſua, quo usque honos ſtudiis, conſtat. Luget Academia ſplendidiſſimum menbrum, quae quaſi theatrum illius ingenii fuit, nulla pro eo cura defatigati, nullo unquam labore fracti, quin uigilanter attendentis ſubinde, recto ut omnia talo ſtarent, ſeque ea rerum copia & theſauro inſtrueret, ad quem, quoties uſus exigebat, tanquam ad diues aliquod penarium iretur. Lugent honores dexterrimum cuſtodem, quorum ſtudium rite decurrit, &, ſiue Philoſophicum Decanatum gereret, (geſſit uero hunc nonum) nunquam fere Candidati defuerunt, ope & auſpiciis eius in interius Sapientiae delubrum introducti; ſiue Rectoratus inſignibus diſtingueretur, (id quod ei bis contigit) non triſti ſupercilio, non uoce aſperiore, ſed gratia & placido quodam rigore effrenem ſuſtulit licentiam, ut intra unum aut alterum exemplum ſtante omni delicto felix maneret Respublica,

quam Philoſophus gubernabat. Lugent pauperes liberalem Eleemoſynarium, dum quotidianis ſparſim largitionibus coeleſtes diuitias foenerato conſecutus, diuites docuit ſuas augere opes inopibus diſpergendo. Lugetis denique orbata Domus Columen, Boni candidam Mentem, Vos Dnn. Profeſſores & Studioſi Collegam & Patronum aeſtumatiſſimum, qui etiam ad leniendum ueſtrum deſiderium, non caduco lapide & mortalibus materiis templum decernitis, ſed in fidiſſimis pectoribus Virtutis ſuae ſimulacrum duraturum ponitis. Modo non lugent inuidi, quorum antiquum & uetus eſt promeritae laudi obſiſtere, & ubi ſemina intra glebas elidere non potuerunt, eam adultam quomodocunque praefocare. Quid ego ereptum redditurus, ſi lacrumis emereri Manes poſſent? Gratulor Tibi, Beatiſſime FELVVINGERE, aeterna iubila, ſed non minus grauem Tui iacturam doleo; ſicque uerbis parco, quod dolores leues loquuntur, ingentes ſtupent.

SCRIPTA:

In Theologicis.

Collatio Religionis Euangelicorum ſeu Lutheranorum, cum Religione Vnitariorum, ſiue Photinianorum, contra M. Valentinum Baumgart.

Immodeſta Modeſtia, qua immodeſtus Photinianus è Tranſyluania M. Valentinus Baum-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [204] - 184

Baumgart, coetus Claudio politani Minister, & Gymnisii ibidem Rector, Ioan. Paul. Felvvingerum, Prof. Altdorfinum excepit.

Concussio primae Normae Religionis Photiniano-Zvvickerianae, de disparatis.

Incarnatio Iesu Christi contra M. Valentinum Baumgart.

Solida & in Scripturis fundata Demonstratio uerae & ab aeterno Iesu Christi cum Patre suo coëssentialis Diuinitatis.

Ionae Schlichtingii a Bukovviek, Photiniani magni nominis, centum argumentorum, a Nicolao Cichouio, pro uera & aeterna Iesu Christi Deitate, Excisio.

Examen Methodi Augustinianae, contra VValenburgios.

Vindiciae Incarnationis Iesu Christi, aeterni Patris, aeterni Filii, pro Alberto Gravvero, contra Valentinum Schmalcium.

Speculum Veritatis, contra VVilhelmum Christianum Marchionem Brandenburgensem, de Sacra Scriptura.

Aucupium pecuniae, i. e. de Missis Solitariis, contra Ioan. Theophilium Klibniz.

Disceptatio Theologica Anti-Photiniana, de Ratione in Theologia, contra Florianum Crusium, uel contra Crellium.

Ἀνέκδοτον.

Democritus relegatus i. e. Refutatio libelli Papistici, cuius titulus: Lacht überlaut /

die Acatholischen wollen einmahl Römisch Catholisch werden.

In Logicis.

Explicatio Prioritatis Naturae.
De Praedicamentis, X. Disputationibus expositis.
De Propositionibus & Syllogismis Modalibus.
De Syllogismis Imperfectis, & aliis similibus.
Methodus Disputandi Kesleri, cui addita est Appendix de Disputatione.
De Demonstratione.
Palaestra Rationis de Propositionibus & Syllogismis Exponibilibus.
De Doctrina Suppositionis, Ampliationis & Status.
De Sophisticis Elenchis, contra Faustum Socinum.
De Syllogismo Expositorio, A. Ioan. Henrico Pristet.

Ἀνέκδοτα.

Commentarius in septem libros Topicos.
Commentarius in librum primum Analyticorum priorum.
Commentarius in librum secundum Analyticorum priorum.
Commentarius in librum primum Posteriorum Analyticorum.
Commentarius in librum περὶ ἑρμηνείας.

In

In Metaphysicis.

Commentarius in sex libros Metaphysicos Aristotelis.
De Bono. De Malo. De Vero. 1. 2. De Falso.
De Distinctione, eiusque generibus.
De Causa Sine qua Non.
De Potentia Dei Absoluta.
De Concursu Dei, siue Causae primae cum secundis.
De Causa Formali Mali.
De Habitibus in genere.
De Essentia ac Existentia.
De Principio Indiuiduationis.
De Simplici & Composito.
De Causa per Emanationem.
De Necessario & Contingenti.
De natura & Essentia Luminis Naturae siue Rectae Rationis & Lumine Reuelationis.
De Existentia Dei natura cognoscibili.
De Potentia & Potestate Dei in homines.
De Potentia Dei Absoluta & Ordinata.
De Aeternitate.

Ἀνέκδοτα.

Institutiones Metaphysicae, libri Tres.
De Causis Tractatus.
Institutiones Metaphysicae breuiores.

In Politicis.

Dissertationum Politicarum, Tom. 1. 2. 3.
Tractatus de Arte χρηματιστικῆ.
Tractatus de Iudice.

Tracta-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [207] - 187

Tractatus de Magiſtratu.
Tractatus de Conſiliariis, Senatoribus & Legibus.
Obſeruationes in Ideam Franconis Burgersdicii.
Diſputatio de Dictatore.
Diſputatio de Seruo Naturali.
Diſputatio de Praeda Militari.
De praeda Militari, pars altera.
Diſputatio de Dominio Eminente.
Diſputatio de Nouitatibus in Republ. uitandis.
Diſputatio de Temeraria Prouinciarum inuaſione & occupatione.
Diſputatio de Mediatoris Officio, eiusque requiſitis, de uniuerſali Mediatoris officio.
Veltatio Quaeſtionis, An in Tractatione Pacis, Belli cauſae a Pacis conciliatoribus examinandae?
Diſputatio de Armatura Epiſtolari.
De Origine, Progreſſu & Fatali Rerumpubl. periodo.
Decades duae Quaeſtionum Nomico-Politicarum.
De Principiis ſiue Fundamentis Ciuilis Prudentiae.
De Genuina Rerumpubl. Origine.
De Spoliis belligerantium.
De Bello.

FINIS.

MEMO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [208] - 188

MEMORIAE

PHILOSOPHORVM ORATORVM POETARVM HISTORICORVM ET PHILOLOGORVM

NOSTRAE AETATIS

CLARISSIMORVM

DECAS SECVNDA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [209] - -

SERIES PHILOSOPHORVM, ORATORVM, POETARVM, ETC.

SECVNDAE DECADIS.

Obiit Anno

1681. SIGISMVNDVS a BIRCKEN, Comes Palat. Caesar.

1681. GEORGIVS FRIDERICVS BEHAIM de Schvvarzbach, Senator & Polyhistor Norimb.

1682. OCTAVIVS FERRARIVS, Eloquentiae Polit. ac Graec. Lit. Profess. Patauinus.

1683. DANIEL CASPAR a LOHENSTEIN, Syndicus Vratislavienſis.

1684. IACOBVS THOMASIVS, Professor Eloquentiae Lipſienſis, Minor. Princip. Collegii Collegiatus, Academiae Decem-Vir & Facult. ſuae Senior.

1684. BALTHASAR STOLBERGIVS, Graec. Lit. Professor. Vitembergenſis.

1687. CHRISTIANVS DAVMIVS, Cygneus, Polyhiſtor, Gymnaſii Patrii Rector.

1688. GEORGIVS ERNESTVS HELDBERG, S. Theologiae D. nec non Logices & Moralium Profeſſ. Kilonienſis.

1689. ANDREAS SENERTVS, Lingu. Orient. Prof. Vitembergenſis.

1689. Io. FRIDERICVS VVALTHER, Graecae ac Lingu. Orient. Professor Baruthinus.

VITA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [210] - -

XI.

VITA ET OBITVS SIGISMVNDI A BIRCKEN, COMITIS PALAT. CAESAR.

SIGISMVNDVS A BIRCKEN, Comes Palat. Caesar. miseram hanc vitam auspicatus est VVildenstenii, uico in Bohemia sito, non nisi unico lapide ab urbe Egrana distante, loco propter uasa fictilia quae ibidem parantur, maxime celeberi. Patrem nactus est DANIELEM BETVLIVM, Pastorem loci uigilantissimum, matrem uero VERONICAM, MICHAELIS KOBELTI, Ciuis Norimbergensis filiam. Auum ex propagine paterna uenerabatur DANIELEM BIRCKENERVM, Pastorem quondam Frauenreuthensem in agro Egrano. Proauum uero GVOLFGANGVM BIRCKENERVM pariter olim Pastorem Ecclesiae Stolbergensis prope Herciniam. Natalis ipsi fuit VII. Calend. Maii A. R. G. ∞. Ɔ c XXVI. Tertio die post, cum Duci salutis Christo initiandus offerretur, rem sacram faciebat, GEORGIVS MARTIVS, Pastor Ecclesiae Klinckhartiensis, qui exoptatam pueri natiuitatem uersibus hisce cohonestauit:

Euax

EVax cantandum! noua proles naſcitur, euax!
Betuliae noſtrae, quae maxima gloria gentis.
Euax! non proles tantum, ſed maſcula proles
Vere nouo uenit, ſpondet quae ſanguinis alti
Indicium magnum, & curarum dulce leuamen.
Nam uelut extremam minitatur ſilua ruinam,
Si non cottidie ramuſculus unus & alter
Inſeritur, uacuis & ſedibus inſitus exſtat:
Sic genus omnigenum ſubito emarceſcit & aret.
Sanguinis antiqui, ſuboles ni maſcula uiuo
Aduentu faciat magnum generi incrementum.
Ergo euax! euax! merito tu gaudia gaudes
Atque diem roſeum ſignas meliore lapillo:
Nam Deus heredem conceſſit cernere, ſpemque,
Nunc dedit eſſe ratam, cecidit nunc alea dextre.
O te felicem, ote Numinis argumentum
Ingens Diuini! Tua iam perblandula coſta
Dante DEO peperit: peramandus puſio ſugit
Lactis alumnantem nutricis ab ubere ſuccum,
Laetificat fibras materni pectoris imas.
Nec non excitis, noue plauſor, plauſibus aequis,
Cordis ab abſceſſu exultas, bona iubila miſcens

Ob

Ob magnum ſobolis donum : quam tempore longo,
In ſpem multi plicem ſerues, generisque uigorem,
Betulii, magnum & diui paradigma fauoris.
Haec ſunt quae uoueo : Dominus mea uota ſecundet!

Incidit autem SIGISMVNDI natiuitas in triſtia illa tempora, quibus purior doctrina a Diuo Luthero reſtituta ex Bohemiae finibus eiiciebatur. Quae calamitas patri quoque ſuo uſu uenit, qui poſtremus omnium Paſtorum Euangelico - Lutheranorum, agrum Egranum cum exilio commutare cogebatur. Contigit hoc anno ∞.Io cXXIX. atque adeo aetatis ſuae tertio. Tenerrima haec pueri aetas patri ob tam inopinatum fortunae aduerſae caſum moeſtiſſimo, ſolatio ſuccurrere poterat; ſiquidem cum non ſine ingenti animi moerore ſecum ponderaret, quo poſthaec ſe uerteret, aut qua ratione familiam aleret; en! puer comes patri in itinere, explicato fronte atque ore ad riſum compoſito ſchedulam mox in uia inuentam parenti tradidit, cui inſcripta erant uerba: PATER NOSTER. Mox deinde obulum reperiit quem eidem tradidit, atque hoc ipſo futurae diuini Numinis prouidentiae, firmum quaſi ſubminiſtrauit argumentum. Sic patriam in tenera aetate conſtitutus, exilio mulctatus, reliquit, Hohenbergamque, ubi munitiſſima

arx eſt atq; aſylum Principum Brandenburgico-Baruthinorum, ſe contulit, patrem, qui Egrae ſubſiſtere cogebatur, expectans, qui tandem ſummorum Virorum precibus adiutus, ueniam ex patria migrandi atque alio ſe conferendi impetrabat. Sic Hohenbergam reliquit, ac conſanguineo ſuo PAVLO SVESERO, iudici ibidem Pater ualedixit, ac cum uxore pariter atque Aſcanio Baruthum, urbem, quam ſedes Principum Brandenburgicorum illuſtrat, migrauit. Hinc Norimbergam abiit, quae tunc temporis commune quoddam exulum erat aſylum, quo auus maternus, ac patruus ipſos inuitauerat. Hinc cum in portu ſe neuigare exiſtimarent pii exules, noua quaedam exorta eſt tempeſtas, quae plane interitum ipſis minabatur. Namque Anno ∞ Ic XXXII. uniuerſa haec regio bello iſto Germaniae infauſto, premebatur, cum GVSTAVVS ADOLPHVS Suecorum, Gothorum ac Vandalorum Rex glorioſisſimae memoriae, caſtra propter urbem Norimbergam fecit, e contrario MAXIMILIANVS, Princeps Elector Bauariae, cum Duce Fridlandiae, una cum Octoginta millibus armatorum montem antiquum non niſi lapide ab urbe diſtantem, occupauit. Tanta hominum multitudo, quae centum & uiginti millibus conſtare credebatur, incredibilem annonae difficultatem cauſſabatur, adeo, ut medimnus hordei quatuor & uiginti

uiginti imperialibus uenderetur. Quae ſumma caritas atque inopia frumenti familiae BIRCKIANAE uires adeo fregit, ut modicae opes, quae VVildenſteinii colligebantur, omnes conſumerentur. Creuit uero calamitas, cum eodem anno febris quaedam maligna, eademque acuta, ciuium Noricorum corpora inuaderet, quae ſucceſſu temporis in dyſenteriam, ac tandem in peſtem ipſam degenerauit, ut in urbe ſaltim Norimbergenſi duodecim millia hominum miſero hoc mortis genere occumberent. Sed quemadmodum diuina prouidentia oculos gratiae ſuae Piis nunquam claudit; ita BIRCKENIANAM familiam adeo fouit in ſinu, ut in tanta calamitate mali huius crudelitatem non ſentiret, quin potius uicinorum funeribus circumfuſa, ſarta pariter ac tecta floreret. Sed anno qui ſequebatur, ingentem fecit iacturam, cum mater Sigismundi hydrope corrumperetur, ac praematura morte aetatis ſuae ſexto die ſupra annum quadrageſimum filio, liberisque ceteris eriperetur. Dici non poteſt, quanta magnanimitate marito liberisque Vale ultimum dixerit, quibus adhortationibus, eisdemque literis conſignatis, utrosque dimiſerit, quam florigeri ſodales libro honori Praeſidis ſui B. Sigismundi a BIRCKEN conſecrato, ſub titulo die betrübte Pegneſis p. 85. 86. 87. & 89. copioſe recenſere non dubitarunt. Tacitus praetermitto luctum,

quem cum Pater, tum liberi praecipue, materno praesidio orbati publice contestati sunt, qui Spectatoribus lacrumas expressit. Praecipue uero tantum uulnus sensit SIGISMVNDVS, quem pia mater in prima aetate M. Georgio Pfistero, Conrectori Scholae ad Spiritum Sanctum, nec non Concentus Musici Direrctori erudiendum tradiderat. Huius uiri ductu cum in uernaculo, tum sermone Romanis consueto, artem legendi ac scribendi, una cum capitibus pietatis addidicit. Sed biennio post traditus est Adamo Zannero, Scholae quam dixi, Rectori, in disciplinam, qui, prout singulari polluit docendi facultate, ita Beatum uariis locupletauit artibus ac scientiis, ut ipsum reliquis anteferret praeceptoribus, ac postea meritissimo huic Viro, qui ex infimo Praeceptoris Scholae in qua docebat, gradu, ad Rectoris usque dignitatem, conscenderat, gratias acturus, ansam arriperet effigiem eius ex nominis sui literis initialibus A. Z. sequente Epigrammate ornandi, Zannerumque suum finem ac principium omnium in Scholis Praeceptorum uersibus hisce praedicandi:

Ecce scholis quatuor praelustri clarus in urbe,
Qui modo Rectorum summus, is imus erat.
Ad primum doctrina gradum sic duxit ab imo:
Littera sic princeps nominis omen habet.

Haec

Haec merces uirtutis honor. Cumulata cupiſcens
Diſcat ab hoc, meritis fata ciere, Viro.

Cum ita ſub Praeceptore hoc fidelisſimo magis ac magis florere inciperet, extremum ipſi ſolatium in Patre carisſimo eripiebatur, qui anno ∞ Iↄ c XLII. V. Calendarum Maii naturae debitum reddidit. Sic Patre orbatus fidei curatoris ſui Ioannis Kreuſelmanni Iurium Doctoris, ſe ac bona ſua a parte hereditario accepta, concredidit. Hic cum uideret, orphano rem anguſtam eſſe domi, auctor fuit ipſi, ut ſcribendi ac computandi artem addiſceret, quo paterna bona conſeruaret. Ad tam altas ad literarum ſtudia cupiditas in animo eius fixerat radices, ut nullis plane argumentis eo potuerit adduci, ut a propoſito ſuo recederet. Maxime uero incredibili amore ad iuris ſtudium excolendum Beatus trahebatur, adeo, ut Patri ſuo morti uicino deſiderium ſuum exponeret, ac nulla prorſus ratione ſibi perſuaderi pateretur, ut relictis Iuſtiniani legibus, ſacrarum literarum ſtudium amplecteretur. Quo ipſo Pater moribundus excandeſcebat ira, ac filio per tres dies integros aditum denegabat. Cauſſa cur iureconſultos odio proſequeretur haec erat, quod nonnulli cauſſarum Patroni Ius ipſi uitiare non dubitauerunt. Quam pertinaciam Beatus SIGIS-

MVNDVS posthac saepius detestatus, ac publice confessus est, poenitere se facti, quod nunc demum cognosceret uim paternae indignationis, fortunam scilicet in hoc studiorum genere sibi nouercam. Quare deniceps alios frequenter hortatus est, ut Parentum monita sequerentur, cum morientium consensus amplissima benedictio, eorum uero indignatio grauissima sit exsecratio. Sic itaque literis quasi consecratus sapientiae studia fundamenti loco posuit, quibus eum DILLHERRVS & VVVLFERVS fidelissime innutriebant. Tandem horum Virorum iussu ad altiora Academiarum subsellia abiit, ac XIV. Calendarum Augusti Ienam peruenit. Ibi fortuna aduersa ipsius aduentum iam manebat. Nam primo post accessum suum die rhedarius quidam, cui Norimbergae arcam libris ac uestibus impletam tradiderat, aduenienbat, atque arcam uacuam plane ipsi restituebat, caussam interserens, quod res inclusae in uia a praedonibus ipsi essent aberptae. Alii cuidam homini quandam pecuniae summam Norimbergae crediderat, ea lege, ut Ienae sibi eandem redderet; sed malae fidei homo nihil ipsi soluebat, nisi quod uictu quotidiano pecuniae loco ipsi faceret satis. Tandem noua calamitas oborta est. Nam cum aliquando comoediae spectator interesset, ac puer qui studioso cuidam a seruitiis erat, ipsi impedimento esset, quo minus actio-

actiones in scenam prodeuntium contemplari posset, atque admonitus, ei se opponeret, iniuriam hanc BETVLIVS noster aliquot alapis uindicauit. Quod pueri Dominum eo commouit, ut nostrum grauissime persequeretur, ita, ut cum commensales in auxilium uocaret, uix praesidium inueniret. Vt uero haec omnia aequo tulit animo; sic mirifice laetabatur, cum in notitiam illustris Dn. IOANNIS CHRISTIANI a BOYNEBOVRG ueniret, atque a PETRO MVSAEO in Contubernium reciperetur; siquidem uiri huius Scholis permulta in acceptis retulit, eiusque institutionem grato semper animo prosecutus est. Audiuit praeterea Danielem Stahlium, ac Ioannem Musaeum, qui Philosophiae Historiarumque praecepta tunc temporis publice tradebant. Iurium uero doctrinam hausit a D. Krausio, a cuius ore assidue pependit. Hisce literarum studiis, cum in percelebri hac Academia incumberet, haud maiori felicitate adiuuabatur; siquidem cum anno Poenalismi, ut uocabatur, confecto, honestiori habitu incederet, ac caput cristа ornaret, homines quidam, qui bonarum artium Cultores non ingenio, sed natiuitate distinguunt, odio ipsum habuerunt, nocturnoque tempore coniunctis uiribus & strictis gladiis eum petierunt. Procul dubio tot hostibus succubuisset, dextra enim eius iam uulnus acceperat, nisi amicorum quidam a par-

tibus eius ſtetiſſent, illumque a tanto periculo liberaſſent. Breui tempore poſtin nouum uitae periculum incurrebat, dum inter ambulandum Salae fluuio appropinquans, in undis fere eius interiiſſet, niſi paruae admodum uirgulae adhaeſiſſet. Nec minus uitae diſcrimen ſubiit, cum per foramen foeno tectum in humum lapidibus ſtratum decideret. Reliquis quae ipſum Ienae expectabant periculis, inopia eum eripiebat. Namque cum uitae praeſidia a parentibus relicta conſumſiſſet, domum reuocabatur, quo lubens quidem reuertebatur, ſed non absque Ienam redeundi propoſito. Hic tamen mirifice eum GEORGII PHILIPPI HARSDORFERI, Viri celeberrimi, praeſentia ſolabatur. Nam cum natura ad Poeſios ſtudium ferretur, laudatiſſimus Harsdorferus una cum IOANNE KLAIO Poëta percelebri, B. animum ad Poëſin natum, excitarunt. Cum enim eo tempore Ordo Florigerus ab Harsdorfero inſtitueretur, Anno ∞ ↃↃ c XLIV. inter Sodales eius ſub nomine FLORIDANI receptus eſt. Hoc honoris elogio auctus, in Saxoniam inferiorem abiit, Serenisſimoque Principi ac Domino, Dn. AVGVSTO, Duci Brunſuicenſi & Luneburg. commendatus eſt, qui eum Guelferbytam acciri iuſſit, ut filiorum Principum, Dom. Antonii Vlrici, & Dom. Ferdinandi Alberti, ſtudia moderaretur. Sed cum uita aulica ipſi non usque

quaque

quaque placeret, eidem ualedixit. Post haec Saxoniam inferiorem peragrauit, donec tandem Dannebergam uocaretur, ut Virginem quandam Principem ex gente Seren. Ducum Megapolitanorum oriundam, in bonis literis erudiret. Hanc prouinciam cum per aliquod temporis spatium administrasset, Belgium uidendi, animo eius cupido incesit; sed cum in uia constitutus esset, Lubecam inuitatus est, ut ibi duorum adolescentum nobilium Bovvischiorum studia moresque formaret. Hoc uero munus sibi oblatum suscipere recusauit. Nam cum ad aures eius peruenisset, pacem Osnabrugae initam, Norimbergae peculiari conuentu Imperii iri confirmatam, isque facile intelligeret, multa ibi uisu digna futura, occasionem hanc sibi ipsi inuidere noluit. Quare Dannebergam reliquit, ac Norimbergam abiit. At in itinere cum ulcus quo pedes laborabant, tum miles Caesareus remoram ipsi posuerunt. Sed uix Norimbergam uenit, cum singularibus animi dotibus atque eruditionis fama omnium oculos in se conuerteret, Optimatesque Reip. sibi ita conciliaret, ut filios suos fidei ipsius committerent, quos in Politices ac Poesios studio erudiret. Post haec cum orationem de *Pace Germanica* solemniter, in consessu Legatorum ac Patrum Reip. Norimber. recitaret, in notitiam uenit tantorum Virorum, quorum auctoritate impulsus, iu-

uenes quosdam nobiles in ſcenam prodire iuſſit, epulas fictas in conuiuio pacis ſolemni appoſiras, emblematibus argutisque inſcriptionibus exornauit, hoſpitesque ad menſam eleganti oratione adduxit. Comparauit ſibi hoc ipſo gratiam Serenisſimi Principis Piccolomini de Arragona, cuius deſiderio quo ſatisfiat, Amalfis in lucem publicam prodibat. Tantis itaque ſpecimininibus inſignem peperit ſibi laudem, adeo ut cum illuſtrisſimus Comes a VVindiſchgraez glorioſisſimo Rom. Imperatori Ferdinando III. uirum hunc ſubmisſisſime commendaret, Sac. Caeſ. Maieſt. Betulium inter Comites Sacri Palatii cooptaret, eundemque nobilitatis praerogatiua exornaret. Augebatur ſucceſſu temporis Auguſtisſimi Imperatoris in Sigismundum, clementia, adeo, ut torquem effigie glorisſimi FERDINANDI exornatam, ſingularis gratiae documento eidem, illuſtrisſimo Principe de Harrach interprete, transmitteret. Repetiit eandem gratiam glorioſisſimus in Imperio Succeſſor LEOPOLDVS M. ex cuius ſingulari clementia eiusdem generis dono exhilarabatur priedie Kalend. Septembr. Anno ∞ Ↄ C LXVI. Atque hi ſummi honores, quibus glorioſisſimorum Imperatorum manibus ornabatur, coniuncti erant cum aliis; ſiquidem non ſolum ſocietati fructiferae, a Serenisſimo eius Praeſide ſub nomine des Erwachſenen adſcribebatur, ſed etiam a Carolo

rolo Patino, Academiae Recuperatorum quae Patauii floret Principe, ob insignem uirtutem, singularemque doctrinam (ut ipse Patinus in diplomate testatur) Academicorum albo inscriptus est Kalend. Febr. ∞ ↃↃ C LXXIX. Tanti honores quamuis durorum memoriam iuuentutis fatorum dulcedine sua lenire poterant, maximum tamen quaesiuit pariter atque inuenit leuamentum in Coniugio, quod bis inniit, prima uice cum MARGARETHA MAGDALENA, SIMONIS GOERINGII; Consulis Crusiensis filia M. Ioannis Dambachii Pastoris Crusiensis ac Reu. Capit. Baruthini Senioris, Vidua relicta, quam XIV. Kalend. Martii anno ∞ↃↃC XXXVI. Baruthi Francorum solemniter domum duxit. Quo sanctius uero hanc arctissimo societatis foedere sibi iunctam amabat, eo maiori luctu mortem eius prosequebatur, qua coniugium ipsius sterile quidem, dulce tamen ac tranquillum, decem annis feliciter transactis, soluebatur. Sic per quatuor fere annos integros lacrumis suspiriisque uxoris obitum deplorabat, donec tandem diuino plane fato dolores quos inde conceperat, in amplexu Clarae Catharinae, natae Boschiae, Ioannis Reinhardi, S. Theolog. D. eiusdemque in Academia Altdorfina Professoris P. Primarii, totius Academiae Senoris ac Pastoris ibidem Prim. uiduae relictae leniuit, quam Anno ∞ ↃↃ C LXXIII. d. III. Decembr. sibi despondendam cura-

curauit. Sed nec ſecunda haec uota primis erant feliciora, ſiquidem neque ex hac Coniuge liberos genuit. Anno eiusdem ſeculi LXXIX. matrona hac caſtisſima, morte priuabatur, quam in oculis animoque tulit, cuius obitu eo magis affligebatur, quo magis fidem atque amorem ipſius ſubinde experiebatur. Ac cum de uita beate finienda ſemper cogitaret, (namque pietas uera atque infucata, germanaque fides & candor praecipue erant uirtutes, quas praeceteris, quibus cumulatisſime inſtructus erat, frequentisſime excoluit,) tum praecipue ex eo tempore, quo carisſima Coniux naturae debitum reddiderat, rerum humanarum pertaeſus, nil niſi felicem in coelum reditum deſiderauit. Quod petiit, tandem pridie Eidus Iunii An. ∞ IↃC LXXXI. impetrauit. Nam inde a tenera aetate uariis morbis, tum maxime catharris uexatus eſt. Quamquam uero prudenti Medicorum conſilio mala haec leniebantur, prorſus tamen ab iis liberari non potuit. Octo enim ante beatisſimum ipſius obitum diebus de nouo catharris inuadebatur; ac quamquam omnes medicinae uires ad morbum depellendum parabantur, conualeſcendi tamen facultas erepta erat. Hinc cum XII. Iunii die, anni quem diximus, apoplexia correptus eſt, eodem die deſiderii ſui anxii particeps, ſub precibus amicorum, Spiritum Deo reddidit, atque ad exoptatas beato-

beatorum ſedes emigrauit. Exanime corpus Patrum Reip. Norimbergenſ. ſingulari indultu, pompa nobili digna, tumulo á B. ſibi ipſi parato, inferbatur, in quo ſibi ſequens poſuit

MONIMENTVM:

VITA
VIA EST MORTIS
VERAE
MORS IANVA VITAE
VITA MORTIS MORS VITAE INTROITVS
MORIMVR ORIENTES MORIENTES ORIMVR
MORIMVR DVM IN CARNE MORAMVR
A CORPORE MORTIS LIBERAMVR
DVM MORIMVR
MORTEM CVM VITA DVM VITAM CVM
MORTE COMMVTAMVS
HORVM MEMOR
SIGISMVNDVS A Birken
COM. PAL. CAES
DVM MORTEM VIVERET
SIBI ET DESIDERATISSIMAE CONIVGI
MARGARETHAE MAGDALENAE
GOERINGIAE
HOC VITAE OSTIVM ELEGIT
ANIMAE IN PATRIAM REDVCES
HIC DEPOSITAS EXVVIAS PVLCRIVS
REPETENT
FIDES

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [225] - 205

FIDES VIDEBIT
IESVS VIVIT ET NOS VIVEMVS
IPSE FACIET
TV METAM COGITANS VIAM CARPE
ITA VIVE VIATOR
NE MORIENS MORIARE
VITAM VT IN MORTE
INVENIAS

In Obitum
ILLVSTRIS VIRI DOMINI
SIGISMVNDI A BIRCKEN,
Com. Palat. Poetae Laur. e Recuperatorum ordine Academici,
Epigramma
GABRIELIDIS CAROLAE PATINAE,
Academicae, Caroli Patini, Equitis & Medici filiae.

QVam noua Parnasſi facies! plena omnia luctu:
Sueta laetitia culmen utrumque uacat.
OderuntChoreas, lamentantesque Camoenae
Triſtia lugubri carmina uoce ſonant.
Suſpenſa cithara & poſita de uertice lauro,
Delius atrato ſyrmate membra tegit.
Fons Aganippeus teſtatur & ipſe dolorem:
Lacrymat, & rauco dum fluit amne, gemit.

Iuſti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [226] - 206

Iuſtitii cauſſam coniecto: BETVLIVS ille
Antiſtes Vatum, caſtalidumque decus
Heu functus uita ſiluit. Sic rite decebat,
Et Phoebum, & Muſas, Orphea flere ſuum.

Patauii Non. Iulii ∞ Ↄ C LXXXI.

SCRIPTA.

Teutſcher Oliven-Berg / oder Fried-erfreutes Teutſchland / Nürnberg 1650. in 4.

Geiſtlicher Weyrauch: Ein Dutzet Andacht-Lieder ſamt XII. Dutzet Tag Seufftzer. 1652. in 12.

Paßions Andachten in der Dilherriſchen Char-Woche / 1653. in 12.

Vom Fato oder GOttes-Geſchicke / ein Dutzet Andachten und Lieder. 1655. in 12.

Oſt-Ländiſcher Lorbeer-Hayn. 1657. in 12.

Die truckene Trunckenheit; vom Gebrauch und Mißbrauch des Tabacks. 1658. in 12.

Commenii Orbis pictus verteutſcht und mit Figuren verſehen. 1658. in 8.

Die verliebte / betrübte und wieder erfreute Margenis. 1650. in 12.

Sonn- und Feſtags Andachten in der Dilherriſchen Hand-Poſtill. 1661. in 8.

Der Donau-Strand und Hungariſche Chronick. 1664. in 12.

Mauſoleum der Hungariſchen Könige. 1665. in Fol.

Windiſchgrätz-Oettingiſches Beylager. 1665. in 12.

Oeſter-

Oesterreichischer Ehren-Spiegel/ bis auf Kayser Maximil. I. incl. 1667. in Fol.
Hoch-Fürstl. Brandenburgischer Vlysses, Bayreuth/ 1669. in 4. und Nürnb. 1678. in 12.
Guelfis oder Nieder-Sächsischer Lorbeer Hayn/ Nürnberg 1669. in 12.
Todes Gedancken und Toden-Andencken / vorstellend eine tägliche Sterb-Bereitschafft/ Bayreuth 1670. in 12.
Pegnesis/ Erster Theil/ bestehend in IX. Hirten-Gedichten. Nürnberg 1673. in 12.
Pegnesis Zweyter Theil/ bestehend in VIII. Hirten-Gedichten 1679. in 12.
Chur- und Fürstl. Sächsischer Helden-Saal. 1677. in 12.
Teutsche Red-Bind- und Dicht-Kunst / oder Anweißung zur teutschen Poësie. 1679. in 12.
Heiliger Sonntags-Handel und Kirchen-Wandel. 1681. in 8.

In Manuscript: asseruantur.

Der beste Freund der Tod / in XII. Andachten.
Heilige Hauß-Capelle oder irdischer Himmels-Gegenhall.
Teutsche Schau-Bühne/ in IV. Schauspielen bestehend.
Teutsche Lorbeer-Wälder / oder Ehren-Gedichte an hohe Standes Personen.

XII.

Sacra Parentalia,
quae piis Manibus
Proſapia Nobiliſſimi, uirtutibus Strenuiſſimi, & omnino Summi

VIRI
DOMINI GEORGII FRIDERICI BEHAIMII
DE
SCHVVARTZBACH,
Inclutae Reip. Norimbergenſis Senatoris, Septemuiri & Scholarchae, &c.
In magnis ab eo beneficiis immortaliter aucta Altdorfina Academia
publica pietate lubens meritoque perſoluit
IOANNES CHRISTOPHORVS VVAGENSEILIVS,
ante diem XVII. Aug. A.C. MDCCXXXII.

INcluti Sapientiſſimique Proceres Almae Reipublicae Norimbergenſis: Vos inprimis, clara multum ſtirpis antiquae BEHAIMICAE & generoſa Propago: Tuque reliqua, tàm Virorum in Dei Eccleſia, ac Civili & literaria Republica iam dudum multis meritis inſignium, quam eorum, quibus ſpes certa mox ornandi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [229] - 209

iuuandique ſeculi incumbit, ueneranda Concio.

Equidem, ſi GEORGIVM FRIDERICUM BEHAIMIVM de Schvvartzbach, Almae Reipublicae Noribergenſis Septemuirum & Scholarcham, Virum maxime inſignem, omnibusque titulis parem, τὸν μακαρίτην, quem non ita pridem atra dies inexpiabili clade poſtquam abſtulit, ereptum ex oculis quaerimus inuidi, meopte conſilio pro Roſtris celebrandum ſuſcepiſſem, non defugio, quo minus frontem me perfricuiſſe, ac parum cordis habere, palam quis mihi obiiciat. Cum enim in omni literatura perexiguum, in eloquentiae uero ſtudiis minus nihilo profecerim, improbum ac paene furioſum fuerit, ſi Virum ſingularis in Patriam amoris & maximorum meritorum, efficacisque naturae dicam, an copioſae virtutis oſtentum? digne ſatis admirationi omnium ac uenerationi exponere me poſſe confidam. Quoniam autem quicquid huius fit, uoluntate non fit mea, hancque prouinciam ii mihi demandarunt, quibus dicto me eſſe audientem obſeruantia iubet, ipſumque ius & fas cogunt, ab illis utique ratio exigetur, me meum excuſabit obſequium. Etſi uero periculoſae plenum aleae eſt hoc munus, etiam cum illi neceſſitas lenocinatur, tamen, quod uix dictu credibile eſt, ipſa leuamento ac ſolatio quodammodo ſubuenit, ſuſcepti operis

peris difficultas. Scio enim, id, quod mihi liquido eueniet, hoc eſt, ut & multa memoratu digniſima praetermittam, & ea ipſa, quae attingam, ieiuniùs multo atque exilius quam pro ipſorum dignitate percurram, resque pulcherrimas dicendi inopia deteram, idem plane etiam illis euenturum fuiſſe, quorum oratio facundiae cothurno ſubnixa, altiſſime aſſurgit, ac ipſis ampliſſimis argumentis increſcit. Tum uero, quia in praeſentia unice Pietatis munus erga Defunctum peragendum eſt, ſola eas partes obeuntis ſufficiet ſimplicitas, quae phalerata dicta, & meditatum ac Pegaſeum melos procul habens, inconditum animi moerentis murmur, & flebiles ſonos languide eliquat. Sum in dolore, uehementique perturbatione; nec reapſe ſim, niſi & eſſe ſermo uideatur. Eius igitur nulla mihi cura eſſe poterit, ſed iſtud potius operam ſedulo dabo, ut in laudando BEHAIMO, nihil me praeter fidem & ueritatem ſpectaſſe, omnes queant intelligere. Principio igitur, ſi, ceu nos facere res ipſa poſtulat, ſplendorem & dignitatem Generis aliquid ad commendationem pertinere exiſtimamus, quod ita fere comparatum, ut fortes fortibus naſcantur, & qua in familia multi praeclari, uirtuteque & rerum geſtarum magnitudine inſignes Viri floruerunt, ex eadem qui ſunt, illorum ueſtigia cupide per ſequantur; iam illico medicentem mole ſua obruit, claritudo &

decus BEHAIMICAE gentis. Scilicet, de ea id asseuerare, & adeo ipsam inuidiam hoc libero, ueroque uerbo lacessere ausim, non multas uspiam terrarum reperiri Nobiles Familias, quae cum hac, uel antiquitate, uel gloria comparari queant. Sapientissimi Viri, Maiores nostri, eos, quorum & certa prosapiae uetustas, & in certum erat sanguinis primordium, Deorum filios dixerunt, & senectam, quam in terris terminare non poterant, coelo consecrabant. Quod, si de ullis unquam, certe de BEHAIMIS dici potest, quorum stirps sola laborat antiquitate, ita ut annos, & spatium temporis post se relinquat. Et enim nihil aliud memorare in re ab omni hominum memoria procul remota licet, quam priscos Familiae huius Conditores, in BOHEMIA ad Schvvartzam fluuium sedes suas habuisse, ex Schvvartza amne Schvvartzbachios dictos. Ibi, cum opibus & re familiari ultra priuatum censum auCti, diu rerum potiti essent, atque possessiones suas longe lateque extendissent, accidit tandem ut circa initium decimi post natum Christum Seruatorem Seculi, facto agmine patriam suam desererent, loca alia ad habitandum sibi quaerentes. Pepulit sine dubio Dei ueri cultui addictos sanctos piosque homines laurigeris penatibus, arcibusque & ladifundiis auitis, Drahomiae quae post mariti VVratislai Minoris mortem, illa tempestate in BOHEMIA imperium

rium tenebat, atque paganas ſuperſtitiones profitebatur, immanis erga Chriſtianos ferocia; quos ipſa graviſſimis ſuppliciis omnique carnificinae genere ad necem excruciatos, funditus eradicare ſumma contentione nitebatur. Cepit tum ante alias Germaniae urbes faſtigium ſuum efferre Noriberga noſtra, moenibus a Conrado I. Imperatore recens circumdata. Hanc ergo potiſſimum pro ſacro aſylo ſibi elegerunt exules noſtri, ibique laeti, & proſpera quaeque ominantes lares fixerunt ſuos. Nouam ſic patriam cum nacti eſſent, una cura uiris erat, ut non indecoros ciues ſe praeſtarent, & qui, qualesque pridem apud alios fuiſſent, illuſtribus facinoribus oſtenderent. Eſt ea uirtutis uis, ut confeſtim omnes in ſui amorem & reuerentiam, aut uolentes ducat, aut nolentes trahat; unde & magna ſtatim Schvvartzbachiorum apud omnes fuit exiſtimatio, ita ut Chronicon Noribergenſe a Balthaſare Herdenio collectum, iam dum ad annum Epochae Chriſtianae nongenteſimum & decimum nonum, Nobiliores Familias ciuium enumerando, BEHAIMICAM quoque inter ceteras recenſeat. Namque, quod praenarraſſe me oportuit, ex quo Schvvartzbachii Noribergam incoluerunt, a uulgo ceu fieri ſolet, ob natale ſolum unde aduenerant, BOHEMORVM, ſeu, quod cum popularium dialecto magis conuenit, BEHAIMORVM nomen iis inditum eſt. Cumque

que hanc appellationem Schvvartzbachii honori sibi ducerent, eam non solum haud grauatim admiserunt, sed & pristinum genuinumque nomen passi sunt obsolefieri. Nimirum, abunde sufficere arbitrabantur, si ueteris nominis in Scuto seruaretur memoria, quod bipartitum (ex Heraldorum formulis mihi loquendum est) & hinc rubrum, inde album gestabant, amne nigro transuersario, ex superiore dextro scuti angulo ad imum usque sinistrum superfluente. Scuto, passis alis Phoenix candidus, sed linguam rubram, & collum nigro diademate ornatum habens, erat impositus. Quanquam nonnulli BEHAIMI, qui Noriberga deserta, in Abusinam Vindeliciae oppidum concesserant, ne hanc quidem notam perpetuarunt, amnem nigrum, incertum quam ob caussam, in eius coloris pinnata moenia, rectis lineis medium secantia scutum, commutantes, atque bisontis aut bubali, ceu uulgo creditur, uel potius elephantorum gemina proboscide illud fastigiantes. Beneque multi tam illius, quam huius formae clypei, e tholis templi quod Noribergae S. Catharinae Martyri dicatum est, cernuntur suspensi. Sed uero Augustissimi Caesaris nostri Leopoldi indulgentia, iusta petentibus BEHAIMIS, non tantum antiquum (Anno 1677. die 10. Iulii per diploma) Schvvartzbachiorum nomen, pro cognomine deinde usurpandum haud ita pridem resti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [234] - 214

restituit, sed & utrumque, quod depinxi, scutum, in unum quadripartitum, cuius campus primus & ultimus fluuiatiles, secundus uero & tertius moeniti comparent, redegit. Caeterum, cum aeque Noribergae BEHAIMORVM propagines aliquae ac eae quae Abusinam commigrarant, successu temporis exaruissent, ea, quae ALBERTVM BEHAIMIVM duodecimo post Christum natum Seculo satorem habuit, Noribergae infixa & implantata, radicata quasi est, ita, ut in hunc usque diem laeta uireat, & cum aeternitate, quam Deo commendamus, Reipublicae semper, ceu confidimus, sit perennatura. Iste ALBERTVS, quem dixi BEHAIMVS, Annam VVilmersdorfiam, primariae nobilitatis uirginem (Henrico, Nepoti eius, etiam Sekendorfia obtigit) duxit uxorem; & in Ludis Equestribus Henrici VI. Imperatoris auspiciis Noribergae anno supra millesimum & centesimum nonagesimo octauo celebratis, nulli fortitudine secundus, pugnauit acriter; ac congredi secum uolentibus, equum equo, uultum uultui, pectus pectori opponens, ingentibus lacertorum toris explicuit sua Victor arma. Comitatus deinde est abeuntem Caesarem nouem equitibus Donavvertham usque eorundem cum aliis, qui imperatorem prosecuti fuerant, Nobilibus Patritiis, priuilegiorum, quae nota sunt, factus particeps. Obiit tandem diem suum, initio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [235] - 215

decimi tertii Seculi, Noribergae in S. Laurentii Æde sepultus. Ab hoc igitur Alberto, BEHAIMORVM, quos Noriberga nostra postea tenuit, quique eidem praefuerunt, incorrupto splendore decurrit decus & triumphalis series, nouis subinde & raris uirtutum radiis illustrata. Atque ut raptim, tantas imagines uelut constipem, & in unum commisceam, prodiere, Fastis Consularibus fidem facientibus, hactenus ex ea familia, uiginti omnino tres, siue Senatores, siue Supremo in Republica Magistratu functi Septemuiri aut Praetores, in quibus nemo est, quin publicis auribus nomen eius singillatim mereatur commendari. Horum enim ope, consilio, sudoribus, & uiguerunt plurimum Patriae nostrae res prosperae, & aduersa conualuerunt. Nempe quotiescunque maximis rebus, siue domi, siue foris, dignum os dabant, omnia laetissimo splendore, grata lubentia impleuerunt. Traxere animos, rexere tempora, transegerunt negotia: Ciuium obsequium, audientium uenerationem, Principum fauorem meruerunt; &, ut pauciss imis uerbis ubertim multa dicam, fecere semper paria, cum Reipubl. amplitudine. Sed, rescisçant istorum res gestas, mirenturque posteri, aeterno annalium atque historiarum honore conditas, non mea hominis indiserti haesitante balbutie. Id tamen mihi non tempero, quo minus unius

&

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [236] - 216

& alterius uirtutis, quae ad regimen togatae Reipublicae nihil attinent, exemplorum quasi portenta, ex BEHAIMIS huc afferam; cum in ea tempora nati simus, quibus firmare animum expedit, egregiis Maiorum factis. Hoc dum exequor, premam institutum meum, parcamque ex se claris nominibus, longum titulorum Syrma addere, a ueteribus Graecis, Romanis, imo & Hebraeis sic edoctus, solius nominis proprii expressionem, confertis honorum elogiis longe laudabiliorem censeri. Atque scitum est Hebraeorum Sapientum (nam de Graecis & Romanis ostendere rem omnibus manifestam, ineptum foret) in Aruch: Rabbi praeclaribus epitheton est quam Raf, sed Rabbam prae Rabbi magis ualet ad honorem; his autem uniuersis antecellit, nudum cuiusque nomen, sine ullo titulo pronunciatum. Ergo nemo mihi, obsecro, uitio det, si prisci bonique quod fecerunt, idem ego imitari sustineo, & potius in CONRADVM BEHAIMVM intueamur, qui Conradum IV. Regem Romanorum sectatus, cum eo in Siciliam militatum abiit, uir opere strenuus, corde impauidus, cuicunque periculo caput intrepide offerens. Quamobrem nec ad suos reuersus est, sed in illa Insula aeui in reliquum bellando exegit. Huic proximum subiungimus, FRIDERICVM BEHAIMVM Ærarii Noribergensis per totos triginta & quatuor annos Praefectum. Qui in Beatae Ca-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [237] - 217

tharinae Sancti monialium Coenobium, insigniter liberalis extitit, prouentus illius & adiecti templi cultum ualde adaugens. Sepultus ideo ibidem fuit post obitum, anno, quem pro genio eius aeui, rudi Minerua concepta proletaria conscriptio, nobis etiam nominare monumenti sic proloquitur:

BEHAIMVS hic iacet senior Fridericus & anno
Milleno Tercenteno ac Sexagesimo quinto,
Die VVenceslai, quem fata amara tulerunt,
Oret uiator pro ipso quisque ysdelis,

In eodem decimo quarto Seculo ad finem uergente, offert se nobis FRANCISCVS BEHAIMVS, Militiae Teutonicae Eques, atque sic uel solus BEHAIMICAE Nobilitatis, si reliqua omnia argumenta deficiant, potentissimus assertor. Nec enim unquam cuiquam ad eum honorem patuit aditus, nisi qui Maioribus Nobilissimis se editum esse, prius dedisset probatum. Scutum uiri, in S. Iacobi templo, Deo Feretrio dicatum cernitur. Aequalis horum temporum fuit MICHAEL BEHAIMVS. Senator, qui extribus Coniugibus, uniuersos uiginti nouem liberos suscepit, recte educauit, ac in plerisque desideria sua impleta uidit. O Hymenae Hymen, Hymen o Hymenaee! Seculo decimo quinto SEBALDVS BEHAIMVS enituit, a Sigismundo Imperatore Romae solemni ceremonia in ponte Tiberino Eques creatus. Ingens documentum posteris, quan-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [238] - 218

quanto ſibi conſtet honeſtum, quantaque mercede fortitudo paretur. Vixit tum quoque STEPHANVS BEHAIMVS, Canonicorum S. Stephani in Bambergenſi urbe Praepoſitus, uixitque in exemplum ſeruatae diſciplinae, & morum caſtimoniae. Ex ſeculo decimo ſexto multos ſciens dum praetereo, ſolum nominare placet GEORGIVM BEHAIMVM, qui anno redemtionis noſtrae milleſimo quingenteſimo & nonageſimo tertio, prope Hungariae Fillekum inter confertiſſimos Turcarum cuneos, frendentis more apri ſaeuiens, magna hoſtium caede propriam mortem ultus eſt. Noſtra haec aetas uidit LVCAM FRIDERICVM BEHAIMVM, Septemuirum & Proto-Scholarcham, τὸν μακαρίτην patrem, quem iuuenem, ſacer impetus cepit, perluſtrandi ſanctiſſimam regionum Palaeſtinam, Dei ipſius quondam in terris ſedem & domicilium. Ei auiditati ut ſatisfaceret, cum ſodale, nobiliſſimorum natalium non minus, quam ingenuae uirtutis iubare prope conſpicuo, Rudolpho de Bunau, Equite Miſnico, iter maritimum ingreſſus eſt. Poſt uarios igitur caſus, multaque diſcrimina, in beatum littus cum appuliſſet, ſolo quod reptans preſſit, crebra oſcula figens, poſitis mox genibus, pias preces fudit aeterno Numini gratias agens, pro priuata, maxime uero publica generis humani ſalute, quae in his oris fuerat olim procurata.

Sic

Sic peragrauit deinde uenerabundus loca, iu quibus Dei Filius ab intaminata Virgine Matre natus eſt, & educatus, ubi a Ioanne praecurſore & emiſſario admiſerat baptiſmum; ubi coeleſtem docuerat ſapientiam; ubi editis ſtupendis prodigiis, naturae rerumque creatarum omnium arbitrum ſe oſtenderat; ubi acerbiſſimos cruciatus mortisque infame ſupplicium paſſus, ubi ſepulchro conditus fuit; denique ubi reſurrexit, & mortis, diaboli, ac inferorum domitor, glorioſo triumpho in coelum eſt reuectus. Vidit amplius hoc aeuum ANDRAEAM IOANNEM BEHAIMVM, qui in famoſiſſimo Norlingenſi praelio, uiriliter pugnans, & ſuo exemplo alios prouocans, toto aduerſo corpore uulneratus, audacem animam effudit. Nouiſſime uidimus IOANNEM IACOBVM BEHAIMVM, fratrem τῦ μακαρίτυ, qui poſtquam Mathematicas diſciplinas peruigili ſtudio excoluiſſet,& iam puer, in abaco aut puluere, rerum magnarum ſimulacra,captasque aut defenſas urbis &acies ac praelia luſiſſet,adultior factus militiae bona fide ſe addixit. Qua propter fulmen illud belli,terrorem gentium,quem nunc CondeumPrincipem (tum enim Engui,enius appellabatur) uocamus inBelgio cum exercitu haerentem, Imperatorem & Magiſtrum ſibi elegit, ſub cuius uictricibus ſignis & auſpiciis, ad heroicam fortitudinem tiro proficeret. Iam in maxime ſtrenuis habebatur. BEHAIMVS, & Ducis ſui fauorem

rem atque adeo Tribunatum cohortis meruerat. Ibi in Mardicki obsidione, ingens belli machina, incertum iratis an propitiis Diis excogitata, naturae trepidantis metus, urbium strages, nouaque praeceps addita fatis uia, terrestre fulmen, & coeli tonantis imago, quod tormentum indigitamus, exitium ei intulit, fato suo, iuxta cum aliis suae prosapiae, quos recitauimus (& nominare plures in promptu erat) ueteranis, nimis profecto probantem ueritatem triti illius diasyrtici: Matres timidorum flere non solere. Nunc tandem retro paulum legendo uestigia, & ad Seculum decimum quintum iam adultum redeundo extra ordinem, cum horrore & religione commemorandus mihi est in prodigium & gloriam omnis aeui exortus, incomparabilis & diuinus Heros MARTINVS BEHAIMVS, MARTINI BEHAIMI & Agnetis Schoberiae, hoc est Tritaui τοῦ μακαρίτου ex fratre filius: quem, non Noriberga, non Germania, non Europa, imo nec totus quidem immensus terrarum orbis cepit. Is enim, cum a teneris, quod Graeci dicunt, unguiculis, ad coeli siderumque doctrinam animum eleuasset, maturus aetate Belgium adiit, ubi tum Isabella, Iohannis I. Lusitaniae Regis filia, post obitum mariti (Philippus III. Burgundus, cognomento Bonus, hic fuit) dominabatur. Isti operam cum addixisset suam, ac singularis sapientiae, rerumque multiplicis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [241] - 221

cis uſus, imprimis uero in credibilis in nauigando peritiae, multa dediſſet experimenta, facile nauem impetrauit, qua, ducem ſuum Genium ſequutus, ignota maria & intentata uada ſcrutaretur. Nil mortalibus arduum eſt, quotius numina praeſto ſuut, rebusque ingentibus fiduciam commodant. Soluit enim robur & aes triplex circa pectus indutus, auſpicato Martinus, uelaque uentis dedit, ſpes ſuas coelo & aſtris committens. Praeteruectus igitur Oceani hactenus cogniti terminos ac fines, metasque hominum extremas, & ultimam Thulen, cum monſtra natantia, & ſcopulos, magis quam Cyaneae cautes, & mutuo concurſu colliſae Symplegades fremunt, inſanum latrantes, ceteraque omnia quae maris naufragi iratae procellae, & uentorum furor ſecum ferre ſolent, diu multumque perpeſſus eſſet, primus poſt hominum memoriam, Fagalem Inſulam reperit, cöegitque partem metus fieri noſtri, Mare ſepoſitum. Erat ea Inſula inculta quidem, ac habitatoribus uacua, ſed tamen mire amoena, fertilis, & Fago arbore, quam Luſitani Faya uocant, ac unde nomen ei haeſit, abundans, paſſuum octodecim millia habens in circuitu. Mare Inſulam ambiens, laborabat piſcium copia. Nec mora: Flandri qui cum Martino ſocii comitesque uenerant, abiecta in patriam redeundi uoluntate, non alibi, quam in nouis his ter-

terris,& uiuere,& mori ſe velle, teſtabantur. Eam ob cauſſam ab Iſabella Dux atque moderator Martinus conſtitutus eſt, qui Inſulam imperio regeret, ac ſacras profanasq; res, ex ſententia ordinaret. Non ibi conſiſtunt uirtutis praeclara facta ubi ceperunt, ſed aſſidue altius progrediendo, culmen meditantur,ultra quod aſcendi non poteſt. Ita noſter entheus Martinus, cum conatus eius tam proſpere ceſſiſſent, haud contentus Fagalem, quam latine Fagutalem uocare liceret, finitimasque Inſulas, uno nomine ab Accipitrum ibi nidificantium multitudine uulgo Aſores dictas, Luſitani enim Accipitres hoc uocabulo efferunt, & Galli quoque in Aucupiis verbum Eſſorer adhibent, detexiſſe, per Oceanum, Atlanticum hac illac annos pluſculos oberrans, ante Chriſtophorum Columbum Americae Inſulas ante Ferdinandum Magellanum, Fretum quod ab eo cognomentum, habet perueſtigauit. Vnde & in Geographica tabella, longe prius quam Magellanus de expeditione ſua cogitaſſet, omnem circa inſigne clariſſimumque illud Fretum, quod ratione mirabili, utriusque bene diſſepti foedera mundi Traxit in unum, orae habitudinem, Luſitaniae Regi radio delineauit. Sed Columbum quidem, & Magellanum, ingens fama per omnes huius uniuerſi plagas, plenis buccis, Noſtrum, qui Diis maris proximus conſtitui debebat, nulla circumfert.

Nimi-

Nimirum recte & eleganter sic dicente Plinio, alia clariora, alia maiora sunt. Et usque adeo, non semper digito monstrari, & dicier hic est, eos manet, qui os populi meruerant. Quamuis autem huic malo mederi, & resacrare ceremonias quibus in augusto orbis terrarum templo, apotheosis Columbo & Magellano pridem tributa est, nostrae facultati minime conceditur, nec facile quenquam obsequentem habiturus sum, si maxime edicam, Nouo Orbi Occidentalis BOHEMIAE, Freto Magellanico, seu, uti aliqui uocant, Patagonico, BOHEMICI appellationem inposterum faciendam esse nihilo secius illud interim curabo, quod me decet, prohibiturus, ne quis noua, & uix ullis fortasse audita, quae dixi, de industria me confinxisse, atque in re tanta ludum insolentem dudere, aut aliis imponere, uoluisse, existimet. Proinde, quod Romanis ac Graecis Rhetoribus usitatum esse scimus, ut in medio orationis cursu testes audiantur, mihi quoque concedendum, atque huc coram adducam, quae saltem Vestrum, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, assensum, mihi uel inuitis extorquebunt. Patriae Archiua, arcem roburque constituo caussae meae. atque sic tali eam munio argumento, quod non aliud sanctius, firmius & extra contradictionis aleam magis positum, in rebus humanis sese offert. Quodsienim

si enim certa ac uera non sint, quae in Republica Sapientissimo Magistratu, industriis ciuibus, fortunae bonorum opulentia ante plerasque alias florente, legum quoque suarum, priuilegiorum & disciplinae tenacissima custode publica auctoritate, & quidem de euentis, ad illam eiusq; Ciues attinentibus, monumentis literarum consignata deprehenduntur, periere, pol! certitudo & ueritas de rebus, nec supereſt, quo fidem negotio alicui conciliemus. Nisi Euangelium in Archiuis reperero, non credam S. Ignatio in Epistola ad Philadelphienses teste, quondam Gentiles Christianis, identidem ogganniebant. Ex quo intelligere datur, sic ipsos fuisse persuasos, neminі fas esse, ex Archiuis quae producuntur, in dubium uocando solicitare. Atqui, ex Voluminis Membranacei de Patritiorum Noribergensium Origine quod in urbis nostrae sanctiore Aerario custoditur, folio 119. itemque ex Tomi I. Analium Noribergensium Manuscriptorum folio 385. hausta sunt, quae de MARTINO BOHEMO protuli in medium, relata utique in eos Commentarios, ex fideli narratione Filii ipsius, Patri cognominis, quem Ioanna de Macedo, Lusitaniae, regis Archistratego genita, illi pepererat. Is enim Martinus Filius, ad Noribergam uisit, Magnique parentis memoriae, scutum sacrauit, in S. Catharinae Aede etiam num suspensum,

cum prius anno ſuperioris ſeculi ſexto, Vlyſipponae exequias ei iuiſſet, & ſtruxiſſet Sepulchrum, cui nihil aequius erat, quam ut uel ſaltem inſcriberentur Sacratiſſimi Maximiliani I. Imperatoris, in quae, Martini Expeditiones miratus, erupit uerba: MARTINO BOHEMO, *nemo unus imperii ciuium magis unquam Peregrinator fuit, magisque remotas orbis adiuit regiones.* Enim uero, non ſola domeſtica teſtimonia iactare cogor; ſuppetunt mihi, ſi tanti hoc eſt, &, ſiquis ea abs me requirat, etiam peregrina. Faialem Inſulam, cum ceteris Aſores, Flandricas uocant qui terrarum ſitus deſcribunt, vocant Chartae Geographicae, Globique terreſtres meliores omnes. Nempe, quia a Flandris Argonautis, quorum Anteſignanus Martinus fuit inuentae. Suntque Petri Bertii indicio, usque nunc Familiae quaedam Flandrorum in Faiali Inſula ſuperſtites; eſt ibi Flumen, cui Ribera de los Flamengos nomen. Multos agnouiſſe, quod Columbus Martinum magis, quam duas Arctos, Helicen & Cynoſuram, in itinere ſuo ſequutus fuerit, ignorare [illegible]os non patiuntur, iſta Io. Baptiſtae Riccioli, quae ex Geographia eius & Hydrographia Reformata re„praeſentamus: Chriſtophorus Columbus, „ex Paleſtrella ſtirpe Placentina oriundus, „& poſtea Liguriae incola, cum prius in „Madera Inſula, ubi conficiendis, ac delineandis chartis Geogrophicis uacabat, ſiue ſuo-

soupte ingenio, ut erat Vir Astronomiae "
Cosmograph. & Physices gnarus, siue indi- "
cio habito a MARTINO BOHEMO, aut, ut "
Hispani dictitant, ab Alphonso Sanchez de "
Helua, nauclero, qui forte inciderat in Insulá "
posteaDominicam dictam, cogitasset, deNa- "
uigatione in IndiamOccidentalẽ: & cetera, "
quae apud Scriptorem hunc sequuntur. Deni-
que Martinum, Ferdinando Magellano ad de-
cantatumFretum inueniendum, uiam praei-
uisse, ab Hieronymo Benzono in Historia de
reperta Occidentali India, his uerbis proditũ
est: Huiꝰ freti obseruatio Magellano tribuẽ- "
da est: nam reliquarum nauium praefecti, "
Fretum esse negabant. Magellanus tamen "
Fretum istic esse norat, quia (ut fertur) in "
Charta mariana adnotatum uiderat, descri- "
pta abinsigni quodam Nauclero, cui nomen "
MARTINVS BOHEMVS, quam Lusitaniae "
Rex in suo Museo adseruabat. Nec exaliá,
quam a nobis indicata causa, natus est Hen-
rici Salmuthi, ad Guidonis Pancirolli Noua
Reperta, titubans, aut rectius, seipsum cor-
rigens sermo: Ferdinandus Magellanus, "
(inquit) anno reparatae salutis uigesimo, "
secundo supra, millesimum quingentesi- "
mum, ulterius uersus Austrum nauigans, "
primus mortalium angustias illas (Freti pu- "
ta Americani) inuenit, aut superauit. At- "
que ita officio functus sum, & fidem libera- "
ui meam. Nihil est, quod quis dicat mi-
hi. BEHAIMVS omnino Nouum Orbem,
BEHAIMVS Fretum quo per Occiden-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [247] - 227

tem in Orientem patet aditus, & cuius beneficio totius mundi periplus fit, reperit alii honores tanti inuenti tulerunt. De reliquo autem, uim mihi facio Auditores, dum animum nunc abduco a contemplatione maximi Herois, quod idem oculis meis contingit, quoties in obtutu imaginis eius, quae Noribergae in aedibus τῦ μακαρίτυ ſpectatur, defixi haerent, & illam pulcherrimam uiri florentis aetatis, corporis compoſitionem, oculorum fulgorem, decus ſerenae frontis, & prolixam caeſariem, erecta ceruice genisque fuſam, cum ſenſu & uoluptate aſpiciunt. Sed ualete multum manes! ad Viuos BEHAIMOS ueniendum eſt, quorum praeter eos qui nondum ex ephebis exceſſerunt, & qui tamen ipſi uelut generoſa ſemina in ortus exſurgunt ſuos, quatuor omnino familia nunc oſtentat, iisque magnifice ſe effert. Quae, dum dico, PAVLLVM BEHAIMVM, Arcis Hohenſteinenſis Praefecturam gerentem, dico, Virum cordatum grauem, & quo nihil ſimplicius, nihil fidelius nouimus. Quem omnes Boni certatim, & tamen aequaliter amant. Cui poſt ſextum & ſexageſimum aetatis annum, aurium oculorumque uigor integer, agile & uiuidum corpus ſolaque ex ſenectute prudentia. Ei altiſſimam, qua inter Florum culturam, flos ipſe uirorum, fruitur, quietem gratulamur, Deum precati, ut feli-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [248] - 228

felicitatis hac praerogatiua, diutiſſime gaudeat. Dico praeterea CHRISTOPHORVM IACOBVM, GEORGIVM CHRISTOPHORUM, & IOANNEM FRIDERICVM BEHAIMVM, Fratres, GEORGII CHRISTOPHORI BEHAIMI, Summi Praetoris, ante hoc quadriennum, cum omnium moerore defuncti, quique perennibus Pietatis Virtutumque operibus, omnem Poſteritatem ad perpetuas gratiarum actiones ſibi reddidit obnoxiam, Filios. Exhis CHRISTOPHORVS IACOBVS acceptam a maioribus gloriam auget, tollitque in maius, & nouum atque illuſtrius, quam in priorum titulis fulſerat, Baronatus, *lumen ex ſe natis, qui & naſcentur ab illis* accendit; mea longe praeclariores animas, aeternitati ſuae uectigales habiturus. Alter GEORGIVS CHRISTOPHORVS, nuper ad Summum togae honorem, & Senatoriam dignitatem aſcendit, poſtquam compertum fuerat, illum largiter ab auctore & naturae & fortunae Deo, iis inſtructum eſſe bonis, quibus Res publicas tueri, creſcere, ornari, quibus mortalium ſocietatem ſemper uoluit iuuari atque contineri. IOANNIS FRIDERICI innumerae atque excellentiſſimae dotes ſunt, a coeleſti Prouidentia inuſitata ratione, in uota tutelamque Patriae, ei conceſſae. Cuius cum Virgine, in qua formae omnibus ſimulacris emendatior ſpecies, proſapiae nobili-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [249] - 229

tas, & oris uerecundia, ſuauiter inuicem certant, fauſtiſſima nudius tertius contracta ſponſalia, ceteraque, quae ſuſcipiet ac aget, proſperet DEVS prouehatque. Atenim de Illuſtri BEHAIMICA Gente, ampliorem ſermonem, breui huius & miſcellaneae Orationis ambitus non admittit, ac tempus eſt, miſſis reliquis omnibus ſoli τῷ μακαρίτῃ impoſterum uacemus: qui anno incipientis Seculi huius decimo ſexto, ante diem quintum Martii lucem uitalem aſpexit, rara naſcendi felicitate, & quae dubito, anulli alii in urbe, noſtra unquam obtigerit, Patre, Auo, Proauo, Abauo, Atauo, Tritauo, & Tritaui rurſus Patre, Auo Proauo, Abauo omnibus haud unquam interupto ordine Senatoribus, genitus. Ac Patrem quidem LVCAM FRIDERICVM BOHAIMVM fuiſſe, & in Republica Noribergenſi, Septemuirum ac Proto-Scholarcham egiſſe, modo ex occaſione innui. Eius Viri, inter praecipua Seculi Patriaeque noſtrae ornamenta numerandi, examuſſim, perfecta Virtus, quia iam olim triginta & amplius ab hinc annis, celebrem Iure Conſultum VVilhelmum Ludvvellum, ex hoc ipſo loco locupletem praedicatorem nacta eſt, mihi ſolius ſilentii applauſusque gloria relinquuntur. Mater, BOHAIMVM noſtrum felici partu Noribergae in excelſa Caeſarea arce, apud PAVLLVM BEHAIMVM, Vr-

bis

bis praesidium & Praetorem, Socerum suum, enixa est Anna Maria Pfinzingia, Paulli Pfinzingii genere, uita & moribus inque Patriam fide Nobilissimi Viri filia, decus ingens Matronae, & sui sexus honestamentum. Natus autem est ὁ μακαρίτης corpore pulchello, succi pleno, & congruae membrorum concinnitatis. Quapropter, postquam lustralibus sacris, in quibus Vir εὐδοκιμώτατος Georgius Christophorus Volcamerus, Senator, ex ueteri Ecclesiae instituto, uadem se praestitit, fuerat initiatus, optimi Parentes in bene nutriendo educandoque infante hoc suo nulli pepercerunt sedulitati industriaeque. Hinc actutum cum usus rationis exerere se cepit, iis literis imbuendus datus est, quibus formari ad humanitatem infantia solet. Potissimum uero Pietatis habita ratio, & ad eam pueri indoles excitata; cum haud frustra iudicarent Genitores, hanc uirtutum omnium, non obstetricem sedulam tantum, sed & nutricem optimam, ac fidelissimam custodem haberi. Selecti autem praeceptores modesti, lenes, sobrii integrae uitae, doctrina eximia, a quibus nhil nisi honestum audiret filius, nihil disceret, nisi profuturum; Iam enim tum ea dementia, quae nunc nescio quomodo indies latius grassatur, & in ipsas Principum aulas sese insinuat, multorum animos ceperat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [251] - 231

Puta, ut domus procuratorem constituerent uirum fidelem, ianuae custodiam committerent atrienſi non inepto ac reliquos rei familiaris administros uellent, esse omni exceptione meliores, solis uero liberis, sanctissimis pignoribus & caritatibus suis praeficerent homines corruptos corruptoresque, qui sibi semitam non sapiebant, alteris monstraturos uiam. Solent, qui tractandis equis operam nauant, a primo mox ortu, nobilis caballi pullum non degenerem agnoscere; si altius incedat, petulanter ferociat, & spectari gaudens, adhinniat, adlusitet, adsultet. Si arrectis superbe auribus, si emissis acriter oculis, si ronchisantibus clare & sonore naribus, iram & robur, & impetum, licet non ultra quam minetur. Prorsus aliquid simile habuit BEHAIMI nostri pueritia, in qua insita naturae & pectoris bene nati uis, quotidie magis magisque se exerebat, ubique & in praesens, officio, annis, exspectationi satisfaciens, & in posterum concitans de se spem praeclaram. Quantas ipse iam tum, quamque crebras in illa aetate, quae nihil cogitare, nihil loqui, nisi leue & ludicrum solet, singularis prudentiae significationes dedit! quam graues, seueri, compositi, & humanitatis tamen ac facilitatis dulcedine conditi erant illius mores! Nimirum quos insignibus rebus publicis Rectores destinauit Conseruator earundem Deus,

Deus, in illis plerumque uirtus non ex ſpectat annos, Sapientiaeque ſemina eorum animi & comprehendunt facilius, & ariſtas maturant. Magnorum fluminum nauigabiles ſunt fontes, & optimae cuiusque arboris ſtatim planta cumfructu eſt. Neque tamen uel ſic praecipitarunt uota ſua prudentiſſimi Parentes, nimisque cito filium abs ſe in Academiam ablegarunt, id longe ſatius futurum opinati, ſi prius intra ſuos Penates artium fundamenta fideliter iaceret, atque religione erga Deum, & generoſo honeſto pectus probe probeque incoqueret. Scio aliud nunc communiter fieri, & pueros, ceu Arbiter uocat, adhuc naſcentes, nullis rudimentis litterarum, nullis praeceptis uirtutum imbutos ſine cuſtode in ſtudiorum uniuerſitates, & adeo longe diſſitas, ablegari. Verum & hoc ſcio, hisque oculis mecum ſtomachando ſaepe inſtitutus ſum, quam triſtes ea res habeat exitus, quamque infelix lolium, & graciles ſterilesque auenae in laetae ſegetis uicem, inde pronaſcantur. Nolim autem ſaeuis unguibus tangere ulcus foedum. Quin potius uoueo, in concionem cunctorum, liberis ſuis bene proſpicere uolentium, mittere poſſem, non meum, ſed Plinii mei monitum, quod Municipi ſuo, filium praetextatum peregre Mediolanum, ut literis operam daret mittendi, multis aliis patribus una cum

eo praeſentibus, ſuggeſſit: *Vehementer intererat ueſtra, qui patres eſtis, liberos ueſtros apud uos potiſſimum diſcere, ubi enim aut iucundius morarentur, quam in patria aut pudicius continerentur, quam ſub oculis parentum aut minore ſumtu, quam domi.* Noſter impleuerat iam aetatis decimum nonum annum cum Palaecomen hanc, patriam Academiam ſalutaret, ac ante ex Grammatica, & primae Claſſis puriſſimis Scriptoribus, Latine eleganter fari, ex logica ratiocinari, ex Oratoria comtas Epiſtolas & Declamationes formare, ceteraque omnia didicerat, quibus uia ad *Edita doctrina Sapientum templa ſerena* ulterius luſtranda munitur. Moratus eſt hic loci triennium, illudque ſpatium ita collocauit, ut nemo potuerit melius. & ceu ii ſe gerere ſolent, qui non praeter propter ſtudia uiuunt, ſed in ipſis. Capiebatur multum hiſtoriis, qua ueteribus, qua recentibus, & utrarumque mediis. Ex iis regionum diuerſarum coeli ſolique uim quam qualitatem dicimus, uariarumque gentium inſtituta, ingenia moresque, nec minus geſta temporum, inuenta prudentum, pernoſcenda ſibi propoſuit, maxime uero, ex aliorum laetis aut triſtibus notabat, quae ſequi, & quae uitare oporteat. Eundem in finem, & ut tanto magis a Virtute ac Sapientia in neceſſitudinem admitteretur, addebat Philoſophiae

phiae pulcherrimam partem, quam Socrates mortalium omnium in Graecia olim Sapientissimus deuocauisse e coelo in terram, & in urbibus collocasse, atque in domos introduxisse, dicitur. Quae, uelut unica uitae hominum Rectrix ac Moderatrix, singulos sui muneris ac officii admonet; quae uoluntatem iracundiae fluctibus agitatam, uoluptatem blanditiis irretitam, fluctuantemque passionum motibus: quae, quid inter patrem & liberos, qnid inter uirum & uxorem, quid inter fratres, amicos, cognatos, ciues ac inter omnes homines obseruari par sit, explicat. Studio iuris quoque se addixit, non tantum illius priuati, sed & gentium ac publici, quam praestabilem sententiam Cicero uocans, consistere ait in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, Regum, nationum, denique belli iure & pacis. Quod his subduci poterat temporis, Mathematicis disciplinis indulgebat, ut alternis quibusdam seueriores Musas leniret. Fecerat ingens operae pretium in literis BEHAIMVS noster, ita ut cum doctissimis comparari possit; & iam uni amplius loco incubare, ac in eo uelut torpescere, turpe sibi ratus, pro nobilitate excelsi animi, nec repugnantibus Parentibus, alio uersum sibi abeundum proposuit. Cogitabat enim, eo se natum loco, qui umbram & tenebras minime pateretur, sed maiorem lucem splendoremque desideraret. Quin & scie-

ſciebat, ad iuuandum Patriam, non eruditione tantum, uerum & experientia ſtrenua ac ſolerti opus eſſe. Hanc autem, domi & in Academiis quidem inchoari, foris perfici. Priusquam uero iter ingrederetur, periculum ex aliis faciens, ſibi quod ex uſu ſiet, diligenter meditabatur, quomodo non peregrinari tantum ſed & ex peregrinatione fructum referre poſſet uberrimum. Viderat namq; multos, qui linguae unius mediocriter cognoſcendae, & uiſendis urbibus, arcibus, uiridariis, multos annos, multosque numos cum impendiſſent, domum ita reuerſi fuerant, ut niſi abſtrudere ueritatem uellent cum Plautina muliere fateri cogerentur: *Vrbis ſpeciem uidi, hominum mores perſpexi parum.* Horum exempla ſibi cauenda, & contra manibus pedibusque, quod aiunt, annitendum cenſuit, ut longe alium ſe praeſtaret. Saepe de hac re, uti ſolebat, me ueneratorem non faſtidire, ſed ad familiaria colloquia crebro perbenigne admittere, cum eo mihi ſermo fuit, dignatusque eſt aliquando totum profectionis ſuae conſilium, & ſucceſſum, ediſſerere. Cuius lepidis dictis, quae bibulis abs me auribus percepta, in animo mihi ſcripta manſerunt, non poſſum, quin *Vos* quoque *Ornatiſſimi Auditores*, permulceam. Primus inquiebat ipſe, mihi ad Batauos excurſus fuit. Didiceram puer Phaebo Muſis-

ſisque dignos, de ea Regione Scaligeri ad Ianum Douſam uerſus:

Ignorata tuae referam miracula terrae
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanicium hic laſſat textrina Minervae,
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges,
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra,
Nulla fabris tamen haec ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeae rumpunt huc frugis accerui.
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis
Quae uineta colat, nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini,
Linifici tamen eſt copia maior ubi?
Hic mediis habitamus aquis: quis credere poſſit?
Et tamen hic nullae, Douſa, bibuntur aquae.

Sed haec, aenigmatibus ſimillima dicta, pergebat Noſter; cum nullus unquam aſſequutus eſſem, cupiditati, quae ſenſum ueritatemque illorum cognoſcendi, diu me torſerat, tandem ſatis facere me poſſe, impenſe gaudebam. Plane autem expertus ſum, omnia ita ſe habere, prout affirmauerat Scaliger, & ipſa res oſtendebat, eſſe Hollandiam totius orbis emporium, ubi cernuntur Europae deliciae, Americae (imo uero BOHEMIAE Occidentalis) rariores opes, felicitas Aſiae, Africaeque foecunda,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [257] - 237

cunda ubertas; omnibus certatim diuitias ſuas eo congerentibus. Hinc igitur conſequi animaduertebam, ut non difficulter a mari impetrent Batauí, quod a terra negatur, & ut ubique potent uinum, cum nullas uites conſerant; geſtent linum, quod non colunt; ferrum cudant, quod non fodiunt; naues fabricent, cum lignis deſtituuntur. Amplius uidi ſtupuique, homines illos uix natos nubibus aſſueſcere, cum aëre nudo & Ioue contrahere, mare non accolere, & iam aut nauigare optime aut natare; ita ut nihil referre putent, brachiis utantur an remis. Ex Belgio ſubiiciebat ὁ μακαρίτης, in Britanniam traiecí, fidem Eumenii Panegyriſtae examinaturus, cuius, aeque mirificum de illa inſula ac Scaligeri de Batauia pronunciatum, tenebam memoriter, & ecce tibi, etiamnum aetate profectior, teneo: *O fortunata & omnibus beatior terris Britannia, quae Conſtantinum Caeſarem prima uidiſti. Merito te omnis coeli ac ſoli bonis, Natura donauit; inqua nec rigor eſt nimius hyemis, nec ardor aeſtatis, in qua ſegetum tanta foecunditas, ut muneribus utriusque ſufficiat, & Cereris & Liberi, in qua nemora ſine immanibus beſtiis, terra ſine ſerpentibus noxiis, contra pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte diſtenta, & onuſta uelleribus. Certe quidem quod propter uita diligitur, longiſſimae dies, & nullae*

ſiue,

ſine aliqua luce noctes; dum illa litorum extrema planicies non attolit umbras, noctisque metam, coeli & ſiderum tranſit aſpectus, ut Sol ipſe, qui nobis uidetur occiaere, ibi appareat praeterire. Enim uero, docuit me euentus, hunc quoque nihil perperam proloquutum, aut Oratorum more, parua in maius extollendo rhetoricatum eſſe. Reſpondebat ubique genius regionis tantis laudibus, & prope dixerim, eas ſuperabat. Inter cetera autem, quae Bona Fortuna, mihi non apud Anglos tantum, ſed unquam usquam gentium, totaque adeo uita, obiecit munera, fuit Henrici VVottoni, Cantiani, erga me fauor. Viri, qui a Iacobo Magnae Britanniae Rege in Equeſtrem titulum adſcitus, eiusdem ter ad Rempublicam Venetam, ſemel ad Confoederatarum Prouinciarum Ordines in Iuliacenſi negotio, bis ad Carolum Emanulem Alobrogum Ducem, ſemel ad Vnitos Germaniae Principes in Conuentu Heilbronnenſi, poſtremo ad Archiducem Leopoldum Ducem VVürtenbergenſem, Ciuitates Imperiales Argentoratum, Vlmamque, & ipſum Romanorum Imperatorem Ferdinandum II. Legatus iuerat. Quique ingenii facultate, iudicii copia, apparatu ſcientiae, prudentiae actu, facundiae uiribus, omnes amore ſui impleuit: diuina benignitate, ad animos hominum, uel gratia demerendos, uel auctoritate permouendos, quod-

quodammodo fictus. Is, cum Londini, forte fortuna ei innotuissem, nescio, quo occulto motu pertractus, statim arcte familiariterque me dilexit, eaque mihi tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ille me in urbe in secessu contubernalem sibi poscebat, ille mecum seria & iocos miscuit. Ille siue sedens in Museo, siue obambulans in horto, siue una iter faciens, de animi moribus, de uitae officiis benigne me admonebat. Ille iura societatum, pacta populorum, instituta Rerump. Regnorum fata, fatorum casus, casuum rationes, omnemque praesertim Romani caussam imperii, eiusque ad postrema usque nostra tempora uariationes, me edocuit. Ille, quomodo perturbationi temporum intercedendum, quomodo cum magnis necessitatibus, aerarii tenuitas ac ciuium paupertas conciliandae sint, ex rerum bene cognitarum experientia, mihi commonstrauit. Euenit hinc, ut tantum Virum suspexerim magis, an amauerim, dubitem, eumque defunctum etiam nunc perseuerantissime ardenterque diligo. Ab huius latere, cum me lacrymantem necessitas diuulsisset, Galliam adiui; quam omne genus opulentiis ex diuite cornu in fartam, in meditullio Europae, uelut arbitram reliquorum regnorum sitam animaduerti, coelo maxime salubri serenoque eam ambiente. Neque minus ad totius

genc-

generis humani commercia, terra marique aptam, aduerſus hoſtium uero inſultus & machinationes undique ſecuram deprehendi, mari mediterraneo & oceano geminum latus claudentibus, reliqua duo, Pyrenaeorum montium, Alpiumque circumuallantibus iugis, arte, naturam, ubi opus eſt haud ſegniter adiuuante. Ibi, prout in VVottoni ludo enutritum, eiusque diſciplinae alumnum ſe exhibere, aequum erat, emiſſitiis oculis inuiſebam Aulam, intrabam Curias, frequentabam domos, intereram coetibus, attendebam collocutionibus, & inſpicere praeſentia, adire remota, penetrare occulta conabar. Haec, Noſter, de ſeipſo ſic narrabat, cuius o utinam! omnes in peregrinas regiones profectionem ſuſcipientes uiatores, aemuli ac imitatores ſint, & ſimilem eiquoque qua ipſe uſus eſt fortuna experiantur. Ibat iam in ſerum Autumnum annus ab inſtaurata ſalute milleſimus ſexcenteſimus & quadrageſimus primus, cum ὁ μακαρίτης patrios lares repeteret. In his quieti ſe dabat, euentuum quos peregrinando obſeruauerat, aliarumque humanarum & diuinarum rerum contemplationi uacans, & pios Parentes, auxilio in laetis, ſolatio in triſtibus exhilarans. Eſt hoc egregie in Republica noſtra conſtitutum, quod non curſu aut ſaltu ad ſupremos honores fit aſcenſus. Nam ne-

que feſtinato impetu in aequor undiſonum irrumpunt nautae, ſed prius in placidis lacubus claui regimen periclitantur. Miles etiam tum demum animi atque fiduciae plenus proceditin aciem, & de uictoria confidit, cum in campo ante luctando diu exercuit robur, & leuioribus praeliis ſe indurauit. Per annos igitur bene multos, cum BEHAIMVS noſter minoribus Magiſtratus officiis functus eſſet, tandem anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quinquageſimo quarto ad ampliora munera tanta & talis uirtus, hoc eſt, curſor indefeſſus in ſtadium, animoſus athleta in arenam, equus acer in circum uocabatur, plenisque ſuffragiis ſenator creatus eſt. Hic tanquam in ſplendidiſſimo aliquo theatro exhibere ſe Roſcius noſter, & artis ſuae pericula facere. Aut igitur tum, aut nunquam alias apparuit, quid poſſet liberrimis permiſſa ſpatiis, praeclaris artibus ſuffulta prudentia. Veniebat aſſidue in curiam, & intentum, conſideratum ac ſobrium animum domo ſecum afferebat. Praemeditabatur cum cura quae diceret, alios cenſentes ſtudioſe ac patienter audiebat. Si quod dubium incidiſſet, disquirebat comiter, non altercabatur rixando. Quae uera exiſtimabat, ſine acerbitate & arrogantia, conſtanter tamen aſſerebat. Quae meliora alii proferebant, plene laudabat, & ita ſemper induxit firma-

mauitque animum ut neq; moueretur metu, neque flecteretur gratia, nec largitione corrumperetur, contemtor omnis pecuniae, quae per ſordes ueniret. In iure dicendo ſic uerſabatur, ut id ſubinde cum aequitate miſceret, pariter iuſtus ac bonus. Bonus ſine perſonarum odio, & ſine earundem reſpectu Iuſtus. Erga omnes ciues tanta erat facilitate ac comitate, ut communis uideretur omnium parens, & quaſi uſurus, non utens auctoritate. Proinde neminem aut aſpectu aut colloquio ſuo arcebat, nec quis tam humilis erat, cui non ad eum pateret aditus. Cognoſcebat libenter omnium poſtulata, nihil honeſta rogantibus denegabat. Si quid negare cogebatur, eam tamen adhibuit lenitatem ſermonis, ut eos quoque qui repulſam tulerant, aequos a ſe tranquillosque dimitteret. Inadiuuandis amicis ſtrenuus ac diligens, nihil non eorum cauſſa tentabat. Innitendo uero quod ſemel admiſiſſet, tanta ei erat cura, ut non mandatam, ſed ſuam rem uideretur agere. Liberalitatem eius multis, imprimis uero uiduis & pupillis, ſalutarem fuiſſe publicitus conſtat. Atque ut ſua beneficia tanto melius tueretur, ea quotidie augebat, antiquiora ſe ſubuertere exiſtimans, niſi illa poſterioribus cumularet. Si uideret alicubi magnam uirtutem latere eam extrahere in lucem hominum ſtudebat, & interdum indignos quoque com-

complectebatur, ne pauciores iuuaret. Nullas inimicitias gessit, quod neque laedebat quenquam, neque si quam iniuriam aut contumeliam acceperat, malebat ulcisci quam obliuisci, procul ob omni malitia, & uaferrima fraude. Atque sic confuse singulis propemodum uerbis complexus sum, uirtutes, quae multa ac ingentia praeconia requirebant, idque eo excusatius, quod apud eos mihi sermonem esse satis memini, quorum exacta sapientia sibimet potest faecundissime explicare, quae Oratoris tenuitas tractationis plenitudine assequi desperat. Etsi uero praeclara atque eximia sunt, quae recitaui hactenus, tamen modica uideri queunt, prae iis, quae BEHAIMVS noster ex decennii postquam in Senatum lectus fuerat, interuallo, iam Scholarcha ac denique ante hoc sexennium Septemuir factus, praestitit: Tum enim ultra priores limites ac terminos progressa illius Virtus, longo usu robustae sapientiae bonitatisque potestatem exeruit maxime, ac in salutem & commoda patriae efficacissime conuertit; nunquam remissa aut otiosa, solicita semper atque intenta; neque praesentia tantum uerissima pensitatione aestimans, sed solertissima etiam sagacitate augurans futura. Verum & hae laudes pace circumscribendae sunt, quas diducerem, in immensum excrescente oratione, uox simul cumdie

me

me deficeret. Amorem autem illius in hanc Academiam prorsus silentio inuoluere, nefarium scelus & piaculum foret, quam ille semper curae habuit cordique, id unum uehementer agens, ne quod detrimentum pateretur Respublica haec nostra Literaria, & ne aliquid, aut studiorum honori, aut dignitati profitentium, aut publico omnium bono decederet. Quin, non conseruare modo ac tueri ista, sed amplificare etiam, atque ornare perpetuo semper contendebat. Atque hunc propensissimum erga nos affectum, quem ego ob oculos ponere minime ualerem, commodum rursus ipsius τῦ μακαρίτυ uerbis, repraesentare mihi conceditur. Effluxere anni ex quo Reipublicae Noribergensis *Patres Conscripti*, id satagente Venerabili Amplissimorum *Scholarcharum* ordine, in hoc Musarum templo Mystam me constituerunt, omnino quindecim. Fuit tum BEHAIMO id negotii datum, ut Illustris Senatus nomine, me in fanum & delubrum introduceret, atque numero eorum insereret, qui sacris hic rite operantur. Ergo, cum uterque Noriberga discedentes, carpento simul ueherentur, ille solita sermonis grauitate, qua sicubi opus esset, non delinire tantum animos, sed concutere, & in iisdem aculeum relinquere consueuerat, sic incipit: Heus o noster VVagenseili, uelim intelligas bona tua, & dignum te impo-

imposterum Academiae usibus praestes; de qua sic optimus quisque ex Senatoribus Collegis meis sentit, eam publicis fatis longe magis innexam esse, quam Palladii icuncula, aut uigil perpetuo Vestalis foci flamma, aut ex Deorum sedibus lapsa Ancilia, Romano statui salutaria credebantur. Quocunque te in oppido uertes, incides in loca, Heroum uestigiis calcata; in aedes, quas ingentes animae coeloque receptae sacrarunt; in tecta, sub quibus magnarum mentium foetus concepti & editi in monumenta, quae sacros diuinarum umbrarum cineres asseruant; in auditoria & conclauia centum annorum oraculis personantia; in parietes docentium uocibus pulsatos & fractos. Ex hac Academia, tanquam ex agro fertili, eodemque bene ac diligenter subacto & culto, Viri, & eruditionis ubertate, & bonae mentis gloria praestantes nunquam alii aliis succrescere, alii post alios continenter proseminari ac propagari desierunt. Hic formatur decora fascibus ac tribunalibus florentissima pubes, sacrorum pars ac regimen futura, reddituraius gentibus, humanae salutis fatorumque ministra extitura supremas urbis potestates consilio rectum, & per uarias fortunae species ac modos, dispari sorte, latura rerum humanarum arbitrium. Huc Gaetae, Suedi, Cimbri, & Sarmatae, huc toto penitus orbe

orbe diuiſi iuuenes, mortalium flos delibutus, magnarum animarum incrementa, ſeculi ſpes & uotum confluxerunt, ingenii cultum, & ea diligentiae premia referentes, quae nec dare Dea caeca poteſt, nec eripere. Vt facile colligas, ad ea loca Altdorfii noſtri nomen penetraſſe, ad quae nec Romanorum, nec Pellaei iuuenis arma peruaſerunt. Nolo quicquam ceteris Academiis detractum. Noſtra iuuentus, generoſae indolis, manſuetudinis ac modeſtiae, animique laboribus inuicti, a conditae Academiae primordiis, ſingulare exemplum ſemper fuit. Atque eſto, alibi plus hominum ſit, nobis ſemper ſufficiet, habere plus ſolidae doctrinae & probitatis Studioſorum. Addebat plura alia, quibus illa fauoris erga hoc Prytaneum abundantia, ebulliebat, dextram denique meam capeſſens, eamque multum cum preſſiſſet, in pias fauſtasque gratulationes deſiit. Hunc ergo Patronum, aut, ut conuenienti magis uoce flagrantiſſimum erga nos amorem exprimam, Amaſium, cum eheu! amiſerimus plane uideor, *Patres Academici* Collegae, illas Plinii, funus Corellii Rufi ſui, in amici Caleſtrii ſinu deflentis, querulas quas ediderat uoces, ex uobis audire: *Proinde adhibe ſolatia nobis: non haec*, Senex erat, infirmus erat, (*haec enim nouimus*) *ſed noua aliqua, ſed magna, quae audi-*

audiuerimus nunquam, legerimus nunquam. Nam quae audiuimus, quae legimus, ſponte ſuccurrunt, ſed tanto dolore ſuperantur. Bonum factum! Haec noua, haec magna ſolatia, tute nobis praebes, Carole VVelſere, Senator ſplendidiſſime. Tu cuius benignitatem nemo unquam in ſe ſenſit claudier, BEHAIMO noſtro, quod aeternum bene uortat! Succeſſor datus, facis ne de ſtatu noſtro imposterum extimeſcamus, reparasque ex aſſe damnum, quod Eximii Maecenatis mors nobis intulit. Audiuit DEVS uota noſtra, nosque uotorum reos fecit, dum tu Muſis ac literis praefectus es, quo nemo politiora ſtudia tractauit propius ac interius, nemo Muſarum cultores fouet impenſius. Tu inquam, qui totam, ut ſic loquar, prudentiae hiſtoriam, ſiue omnis hiſtoriae prudentiam, capaci animo pridem complexus es, imo in Larario tuo dicam, an uenerandae antiquitatis ſacrario? Romanam Graecamque hiſtoriam uniuerſam, auro argento, aere, per ſacros uultus ſignatam, per auguſta Caeſarum ora, uiuasque Conſulum effigies, nuspiam hiulca ſeculorum ſerie expreſſam, poſſides. Qui improbo labore, aſſiduaque diligentia, tempora ſemper ſomni arctiora quam noctis habens, tantam horum omnium notitiam tibi paraſti, ut non ſolum ſuis loculis conuenienter diſpoſita ſerues,

ſed

ſed & oculis dignoſcendi peritiae adſuetis, tot innumeras ac tam diſſimiles formas, ueluti unius familiae capita cognita habeas, de omnibus erudite diſſeras, ſenſus abditos occultasque notas explices, & quandam ueluti Imperatori; populi luſtrationem quotidie diribitor inſtituas. Bene te Superi ament, faueantque muneribus quae dederunt, & iis iugiter immorentur. Hoc eſt lenem, comem placidum, affabilem, beneficum, qualis ſemper extitiſti, in ultimam usque ſenectam, & in Pylii Regis, qui

- - Magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum uitae fuit a Cornice ſecundae,

Aetatem ſeram conſeruent. Nos interim tuas laudes, & uorſa & prorſa oratione, Apollinisque plectro ſonabimus, ut qualis, quantusque es, ab omni hominum memoria, ab omni aeuo aeſtimeris. Spectauimus ea, quae in publicum protulit BEHAIMVS, unde ad gloriam eius nihil accommodatius fuerit, quam ut illa quoque inſpiciamus, quae in priuato limine tenebat. Eſt enim ſolui nunquam metuens nexus quidam, inter publicam & priuatam uitam, nec utilis temere publico ſit, niſi qui domi ſuae, quae & ipſa imaginem quandam Reipublicae gerit, frugi deprehenditur. Capiamus initium ab illa uirtutum omnium regula ſimul & ani-

ma, Pietate. Quam uti cum materno lacte ſuxerat ὁ μακαρίτης, ita eius ſtudium, tota deinde uita, non ſub larua & fuco, ſed uerbis ſeriis, factisque profeſſus eſt, illamque omnium actionum ſuarum proram & puppim conſtituit, curam iſtam ceteris curis anteuertens, quomodo illi placeret, cui & praeſentis uitae bona ac commoda accepta ferret, & a quo futurae, ſempiternam felicitatem exſpectaret. Pſallebat igitur crebro in conclaui ſuo; aut mente, oculis, uoce, gemitu, in DEVM uerſis, ſanctis precibus ſummam Maieſtatem, Reipublicae, ſibi ſuisque propitiabat. Nec minus quotidie coeleſtia euoluebat oracula, cum horum lectione oculos aperiens claudensque firmiſſime de iis perſuaſus:

Quod quid ſit pulchrum, quid turpe,
quid utile, quid non
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore
dicant.

Concionibus deuote intererat, opere ſemper exprimere geſtiens praecepta ſaluberrima, quae audiuit. Neque uero ſanus ualensque tantum templa frequentabat, ſed & aeger imbecilli ualetudine, ita ut haud diu ante obitum, inter auſcultandum, mentis, omniumque uirium deliquium publice paſſus ſit, cum ſumma totius qui confluxerat, coetus, conſternatione,

one, & e locis, quae quisque occupauerant, accurſu. Quoties ſacrorum myſteriorum particeps fieri uolebat, peccata ſua (non enim ab iis immunis fuit, & paſſus eſt per humanam imbecillitatem ſuos manes) prius ita confitebatur, ut eorum uere ſe atque ex animo poenitere, omnemque ſpem ſibi in diuina bonitate ac miſericordia conſtitutam eſſe, oſtenderet. Poſt oblatas aeterno Numini ſupplicationes labori ſe Noſter dabat, & a publicis curis otium aliquod nactus, inter libros ſuos uagabatur, ac quicquid clarorum ingenia hominum, ad nominis immortalitatem ſupereſſe uoluerunt, peruoluebat. Sumebat quoque ipſe calamum in manus, & multa inſignia monumenta, maxime talia, quae ad Geographiam aut noſtri aeui hiſtoriam illuſtrandas pertinent, in uernaculam e linguis exoticis transtulit, dictione uſus caſtigata, pura, concinna ac perſpicua. Quae omnia, licet diſſimulata & ſuppreſſa hominis auctoritate publicata ſint, quia rara animi magnitudine praeditus BEHAIMVS, nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam referebat, rectеque facti non ex fama, aut populi ſermone mercedem, ſed ex facto petebat, neque ſic tamen is fulgor condi potuit, quin ſe proderet, ſpretaque gloria auctior redundaret. Itaque per ora hominum feruntur eius libri, iisdemque quibus

bus germana lingua ſpatiis peruagantur. Aedes quoque eius, & imprimis ipſe, notis ignotisque aperti erant. Ac cum Amicis quidem quando ſimul una agebat, quas ille hiſtorias, quas narrationes, tum ueteres tum nouas, recitabat; quae dicta ac apophthegmata, ſeria iuxta & lepidiora, ex ore ſuauiter ſurridentis effluxerunt? Erat enim ante alios egregius iocandi artifex, & ſuaues argutias, facetiasque in promptu habebat, ſed tales, quibus Craſſum Antonium, Scaeuolam, Scipionem Naſicam, ipſumque Iulium Caeſarem excelluiſe, Ciceroni credimus. Nec enim graui diſtringebat alios contumelia, aut uerbum ullum proferebat quod Sanctus Numa non nominaret, quodque Dea Bona a ſacello ſuo exulare uellet. A peregrinis uero, quod crebro, & maxime ab Anglis Noribergam transeuntibus, fiebat, quando conueniebatur, colloquia ſua tam accinctae attentionis iudicio diſpenſabat, ut ambiguum relinqueret peritis, plusne doctrinae, an prudentiae, an bonitatis haberet, quod audiuerant. Sicubi autem ſatietas hominum, aut nogotii odium BEHAIMVM noſtrum ceperat, requieſcere qua ſi cum uellet, moleſtasque exanimo exſpuere ſolicitudines, fidibus uarii generis ludebat organa, chordas, barbiton pulſans. Epaminondam imitatus, qui citharizare & cantare ad chordarum ſonum ſolebat

lebat; aut Achillem, qui uictricibus illis manibus, in excidium Ilii protentis, lyram saepe capiebat, qua, belli taedia dispungeret, & illos perpetuos labores, hoc otii uelut condimento, sibi faceret, aut fingeret saltem, minus molestos. Et uero non minore BEHAIMVS apud nos in Musicis gloria fuit, quam Damon & Lamprus, quorum quondam peruulgata apud suos erant nomina. Quin & summos studio prohibuit, ne ars Musica Deorum inuentum, cuius ipse publicam tutelam gerebat, in Vrbe nostra ad paucos recideret, ac ne illius ingenui Magistri, aut suaues phonasci, esurirent, & pari loco cum iis haberentur, qui in triuiis, dissonis sonis, clamant, tinniunt, & ceu ciconiae crotalistriae, stridunt ad aurium dentiumque grauem offensionem. Nuptias bis celebruit BEHAIMVS noster: atque primis, anno Seculi quadragesimo secundo sibi sociauit Mariam Salomen, Tobiae Tucheri, sapientia, aequi iustique amore & rerum gerendarum dexteritate spectabilis Senatoris, filiam: Virginem, cui multo sanguine, multo rubore suffusa uenusta facies, & ingenua totius corporis pulchritudo. Pulchritudinem, uirtus, morumque apta compositio & condecentia gratiorem reddebant. Cum ista decennium exegit, ac perenni concordia, & dulcissimo amore mutuo uixerunt. Prognati sunt ex hoc toro Liberi quin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [273] - 253

quinque, filius nimirum unus, Filiaeque quatuor. Sed, reliquis acerba morte diem obeuntibus, filiae duae, Maria Salome & Suſanna Sabina, aetatem tulere, ex iisque uidit ὁ μακαρίτης complures utriusque ſexus ingenti ſpe blandientes Nepotes. Namque prior *Maria Salome*, egregiae formae atque aetatis integrae, ſedecim abhinc annis, nupſit *Georgio Carolo Muffelio*, Nobiliſſimo ac Egregio uiro, ſed quem ſingulares, quas in eius pectore collocauerat coeli benignitas, pertinaces quibus cum diu multumque conflictatus eſt morbi, in uſum Patriae impendere nondum permiſerunt. Dignum meliore ualetudine, niſi Deus malit ipſum porro una cum fidiſſima Coniuge, magnae patientiae in aerumnis, & aequanimitatis mirificae documenta inter mortales edere. Maioris natu Filiae nuptias, conſequutae ſunt anno uertente aliae nouae, quibus altera (quae tamen & ipſa ante quinquennium uita conceſſit.) *Suſanna Sabina* egregiis morata moribus, & uultu adeo modeſto, adeo uenuſto, ut nihil ſupra, iuncta fuit Carolo Gottliebio Harsdorffero, Georgii Philippi, Germaniae Varronis, quem ſua dies noſtrae & Literariae Reipublicae uſibus magis, quam uenerationi ſubduxit; Filio Senatori nunc grauiſſimo, & eruditione, iudicio, conſilii copia, recti ſtudio, omnibusque

togae

togae artibns insigni. Quem, ut in longum Rei bonoque publico incolumem seruet omnipotens DEVS, atque non degeneraturos a gloria tantorum Patris Auorumque liberos fortunet, uota facio, uotisque cupio damnari. Ceterum BEHAIMVS, cum primae Coniugis obitum, inconsolabilis prope, per uniuersum quadriennium luxisset, tandem ad noua uota transiit, atque Christophori Praunii, canae nobilitatis, & antiquae uirtutis fideique Viri, filiam uirginem, Barbaram Helenam, solemnibus nuptiarum sibi pactam, domum duxit, foeminei sexus splendorem, & in quam, suorum munerum prodiga natura, contulerat omnia, quibus potest aut coli corpus ad summam formae elegantiam, aut praeparari animus, ad cuiusvis generis uirtutes. Ille genarum honos, illa suauitas oris, ille frontis nitens apex, & oculis inditus sidereus fulgor, illa iusta statura, membrorum dignitas, & ingens ubique species, iucundissime sensus τῦ μακαρίτυ mulcebant. Huic autem annos uiginti quinque iunctus fuit & quinque suscepta pignora, Filii nempe duo, Filiaeque tres, quos tamen omnes, uix Patri ostensos immaturis funeribus praeceps fatum eripuit. Hos ille interitus ac obitus, alto quidem doloris sensu, (qui enim aliter gerere se potuisset singularis illa bonitas?) in animum admisit, sed, ne immemor tamen uideretur,

tur illius constantiae, qua aduersus omnes alias calamitates, inuictus semper steterat, semper erat staturus. Reputabat enim secum rem recta uia, nouerat-que, gigni liberos si DEVS non annuat, haud posse. Tum uero insigniter leniuit totam hanc aegritudinem, nimium felix cetera connubium. Cuius quo uetustior nexus, hoc firmior non tantum, sed & iucundior copula erat, ut opes uiresque ab aetate haud magis, quam dulcedinem sumeret, quod Falerna solent. Siquidem, increscebat subinde ingenii & affectuum paritate mutua fides: una mens, unum uotum, inuicem ad amandum prouocabant, ut qui non nosset coniuges, sanctissimum fratris sororisque contubernium iudicasset. Neque amabat solum castissima Marita Maritum suum impensissime, uerum & decenter reuerebatur, omnem semper animum ei addicens. Non tamen unquam illius se consiliis ingerebat, cum ipsam suis negotiis intentam affixamque, & sexus pudor, & parsimoniae studium continerent. Quamobrem, curabat assidue rem familiarem, admonebat officii ancillas, conficiebat diurnas rationes; ne quid periret, ne parum laute instructa mensa esset, cauebat. Seruabat aedium cultum munditiemque, & sursum deorsum cursando, modo intriclinio modo in penuaria aut uinaria cella fungebatur officio, inque

inque his omnibus, ceu ille apud Phaedrum frugi pater familias, afferebat ubique centum oculos, colum quoque & lanam tractare, aut ad noctis uqsue concubium acu nere, haud infra dignitatem & fortunam ſuam poſitum arbitrans. Quod ſi ualetudo Mariti tentaretur, qua ſolicitudine ipſa eum fouebat, quam diligentiam quae medicamina adhibuit, ut cito cum ſanitate rediret in gratiam. Inprimis autem in poſtremo illius morbo qualem ſe praeſtiterit, ſi dignis laudibus efferre parem, longius mittenda oratio foret. Aderat ſemper aegroto; iuuabat e lecto ſurgentem, manum porrigebat cubile repetenti, cibos aut pharmaca blandis alloquiis proſequebatur, noctu humi in ſtrato propter dormiebat, uel ſomnum oculis non uidens, uigilabat potius, nec unquam deſtitit, uerbis, ut poterat, animum & ſolamina illi addere. Semper enim, etiam ingraueſcente indies imbecillitate, ipſa ſpem uultu ſimulabat altum dolorem corde premens. Quod ſi uero diu cohibitae lacrumae uincerent prorumperentque, egrediebatur; tunc ſe moerori dabat, & fletu os totum opplebat ſibi. Satiata, ſiccis oculis, compoſito uultu redibat, quaſi triſtitiem foris reliquiſſet. Odignam (quod coelo teſte dico) foeminam, quae in exemplum ſeculi ueniat; dignam, quam uxoribus noſtris

oſtentemus, dignam ex qua uiri quoque uirtutem uerumque amorem diſcamus. Illa quod fecit, nemo Sapiens non pluris aeſtimauerit, quam cum Arria, ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, tradere marito, addere illam, Plinio uiſam immortalem & paene diuinam uocem: *Paete, non dolet.* Sed ecce, prorſus inopinanter, deduxit nos ſic feralis orationis ordo, ad grauem & mortiferum BEHAIMI Noſtri morbum, lentum & difficile malum. Inuaſerat eum pridem reſpirandi anguſtia, membrorum languor, & uirium defectio. Ad haec effuſa poſtea bilis totum corpus peruagabatur. Quamuis uero uxoris, & induſtriorum Medicorum cura, ſingularisque uictus temperantia, depuliſſe nonnihil uiderentur in ualetudinem pernicialem, ſpiritus quoque paullo liberius meare inciperent, tamen prorupit paullo poſt denuo male ſepulta uis morbi, magis etiam inflammata, uelut doloſo cineri ſuppoſitus ignis, & ita paulatim τὸν μακαρίτην attriuit ac labefactauit, ut ad poſtremum ineuitabilem ei attulerit ex hac uita migrandi neceſſitatem. Ita decumbentem, cum aliquando uiſitarem, pauore reſupinatus obſtupui miſeram corporis habitudinem. Erant nares accutae, oculi concaui, collapſa tempora, facies cadaueroſa, imbecillum latus. Pendebant lacerti, haeſitabat lingua, animus

tamen

tamen uigebat. Ad me igitur conuerſus, Salue & Vale inquiebat, mi Cariſſime, cum ceteris rebus humanis omnibus. Ego nunc nihil niſi coelum cogito, & Seruatoris mei Ieſu uulneribus inuolutus, minime omnium timeo mori, ſed ſolui cupio: ex turbulento hoc ac inquieto ſalo, in illum placidiſſimum portum perpetuae quietis ac tranquillitatis, migraturus. Exſpecto poſt exantlatas huius uitae aerumnas, illa gaudia, quae nullus moeror, nullus metus contaminant; quae humana mens minime aſſequitur. Mox Coelitum triumphantibus choris immixtus, per roſeos aſtrorum ignes humana forma maior incedens, omnem pulcherrimum ſtellati Poli ornatum, coram dimetiar oculis, Ipſumque Numen ſupremum, Deum Sabaoth, nullo fine terminandis celebrabo laudibus. Votum interim pro Academia facio, & illa dico atque impleo, quae opere omiſi. Cum manum illius pectori & ori admouiſſem, & imminentem aeternam beatitatem paucis, fletuque & ſingultu ruptis uerbis, gratulatus eſſem, diſcedebam moeſtiſſimus, nec multo poſt nunciatum nobis fuit, peruenisse BEHAIMVM ad mortalitatis ſuae finem; eumque anni ſupra milleſimum & ſexcenteſimum octogeſimi primi, iam exacti, quarta Decembris dies, ei attulit. Cuius obitus ubi percrebuit, uti in urbe lacrumis omnium oculi madebant, omnia planctibus gemitibusque circumſonabant, un-

dique querelae & lamentationes exaudiebantur, ita quoque nec apud nos quis fuit, qui non ingentis moeroris, grauisque moestitiae signum luculentum ostentaret, prout diuersis diuersa non diuersus dolor suggerebat. Quin, ipsas diuas, Astream, Hygeam & Mineruam, in solemni Panegyri, ore facundissimorum Interpretum, iacturam delicii sui, non sine commotione intimorum sensuum, amare plorantes nuper uidimus. Quemadmodum uero BEHAIMVM luximus hactenus, ita eundem pro se quisque uenerabimur deinceps, & quamdiu nobis sana, ac diuini humanique iuris intelligens mens erit, praeconiis & bonis recordationibus, Viri Magni facta, & famam nominis prosequemur. Quo sic memoria & gloria illius, seculis nullis intercidat, ac cum orbe hoc, cum omni temporum decursu perennet. Quod potui DIXI.

SCRIPTA

Sequentia ex Anglicano sermenè transtulit:

Relationem de Vocatione eiusque requisitis.

Iacobi Houuels Discursus Historicos & Politicos de bellis ciuilibus in Anglia Scotia & Hibernia.

Io-

Io. Dauenantii Concordiam Religionis Proteſtantium & Reformatorum.
Theſaurum biblicum.
Maccabaeum Britannicum, de expeditionibus bellicis Thomae Fairfax.
Politicum ſine exemplo, ſiue de belli ac ſtatus ratione Oliuarii Cromuuels.
Hiſtoriarum belli ciuilis in Anglia Scotia & Hibernia tomos tres.
P. Hieronymi deſcriptionem nouam Indiae, de origine Nili, Sacerdotibus Ioanniticis, mari rubro, palmis.
Hiſtoriam Taſilette.
Lancelloti Addiſonii de Barbaria Occidentali.
Notabilia Aſiae & Africae.
De conſpiratione Anglicana, cum executione Eduu. Colemanni ſeq.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [281] - 261

XIII.

VITA
OCTAVII FERRARII,

Eloquentiae, Politices ac Graecarum Literarum in Academia Patauina Profeſſoris Publici,

deſcrIpta

à

CAROLO PATINO,

Equite diui Marci, Doctore Medico Pariſienſe, & Primario Chirurgiae Profeſſore Patauino.

OCTAVIVS FERRARIVS, natus eſt Mediolani, anno cIↃ IↃ cvII. die dominico xx. Maii, gente patricia, quod ampliſſimo teſtimonio comprobatum eſt a Praeſidibus & Senatu Regio Id. Auguſt. M D C LXXX. Ea liberatis hominibus ſemper, floruit, praeſertim Hieronymo & huius filio OCTAVIANO & graecis & latinis literis uariisque libris editis eximio. Deinde FRANCISCO BERNARDINO, OCTAVII patruo, quem eruditione ſummum, tum fama, tum quae extant eius uolumina, depraedicant. Quadrimus patre orbatus, apud eundem pátru-

truum diligentiſſime educatus eſt, mox inter Collegii Ambroſiani Doctores, Federico Cardinali Borro meo commendatus, qui perſpecta pueri indole, ut largius latina greecaque literatura imbueretur, in magnum Ephaebeum tranſtulit, ubi mira felicitate confecto Philoſophiae & Theologiae curriculo, ſe totum ad humaniores literas transtulit. Grandior factus, ita ſibi purpurati Principis optimi gratiam & beneuolentiam conciliauit, ut illo neminem chariorem haberet, qui cum feſſum curis animum leuaret, plura confeſſus Senex a iuuene didiciſſe. Alterum ac uigeſimum annum agens, in Ambroſianum Collegium, quod tunc erat Italiae florentiſſimum, adſcitus, in docendae Rhetoricae munere, ſemper cum latinis graeca ceteris contigit antecellere. Cuius rei fama ſeptimo & uigeſimo aetatis anno, Chriſti ſcilicet CIↃ IↃ C XXXIV. quingentorum Ducatorum ſtipendio allectus eſt a Veneta Republica, ut in Archi-Gymnaſio Patauino Eloquentiam & Politicam, graecasque literas profiteretur. Quam ille ſcholam, neſcio quo literarum fato & temporum iniuria iam pridem prope lapſam, non ſuſtinuit modo, ſed arte, ingenio, induſtria, labore & diligentia praeter ſpem erexit, atque reparato antiquae doctrinae ſtudio, ſupra ceteras huiuſce ſortis ſcholas extulit. Quare permoti Ve-

neti Patres, nouo ante hanc diem exemplo, nouis post singula sexcennia incrementis, ad usque bis millena, stipendium auxerunt, qui honos hactenus nemini datus est. Exteri porro Principes quanti faerent, clara saepenumero signa patefecerunt tum inuidiosis stipendiis euocantes, tum munificentissimis donis cumulantes. Ex quibus Christ na Augusta nullis tacenda seculis millenorum aureorum torque ornauit, & Ludouicus Magnus, Christianissimus Francorum Rex, quingentorum aureorum honorario per septennium prosecutus est. Interim ut Patriae Mediolani res posteris proderet, ab eiusdem urbis Decurionibus absens insciensque oblato ducentorum aureorum stipendio renunciatus est. Qua prouincia, quantum subsecare poterat, a publica docendi cura, quantumque licebat per ingraueſcentem aetatem & obstinatos morbos, toto quinquennio defunctus, ultro libereque abdicauit. Anno octauo & quadragesimo publice docendi recurrente diutius aegritudine praepeditus, nec dum bene confirmatus, habuit extremam de graecis literis praefationem: & postera luce praelectionem de Manibus & umbris. Inde subito morbo correptus, post septem dies, quinque & septuaginta natus annos, mortuus est. Non. Mart. hora noctis octaua. CIↃ IↃ C LXXXII. Ceterum praeter insignia animi ornamenta,

uis

uis illi inerat acris ingenii, fida memoria, plena consilii mens, animi candor, fides & comitas: per quae summis & infimis mirum in modum charus, atque in reconciliandis dissidentium animis facile Princeps. Vsus est ut literatus incommoda ualetudine maxime capitis atque artuum doloribus conflictatus: uix tamen diem a Musarum sacris abstinuit.

SCRIPTA

De Re Vestiaria libri septem Patarii, in 4to.

Prolusiones XXVI. Epistolae, Formulae ad capienda Doctoris insignia, inscriptiones. Patauii 1668. in 4to. & Chemnitii 1665. in 12mo.

Prolusionum & Epistolarum pars tertia, cui accessit Panegyricus Ludouico Magno Francorum Regi dictus, Patauii 1674. in 4.

Electorum libri duo. Accesserunt Epistolae & Inscriptiones. Patauii 1679. in 4.

Origines Linguae Italicae. Patauii 1676. In fol.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [285] - 265

XIV.

DANIELIS CASPARIS A LOHENSTEIN,

Hereditarii, in Kittlau, Reisau & Roschkovvitz, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarii & Reipubl. Vratislauiensis Proto-Syndici. IV. Kal. Maii cIↃ D C LXXXIII. repentina morte Viuis erepti, ex curriculo Vitae renouata.

Diuini Numinis iussu pueri nascuntur, quos elegit, ut olim lumina ecclesiae suae & fulcra Reipublicae euadant. Plerumque Astronomi ex sideribus quae in natalibus eorum comparuerunt, quos diuina prouidentia ceteris antepoſuit, prospera pariter atque aduersa mysteria quaerunt. Virum quondam praenobilissimum ac perquam strenuum, Dominum DANIELEM CASPAREM A LOHENSTEIN Hereditarium in Kittlau, Reisau & Roschkovvitz, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarum & Reipublicae Vratislauiensis Proto-Syndicum non felicia tantum in natiuitate sidera exceperunt, si his certi quidquam tribuendum est, sed celebris ille dies memoriae conuersionis Diuini PAVLLI Apostoli in fastis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [286] - 266

ſtis ſacratus, ipſi natalis erat, quo poſthaec quamuis non in eccleſiaſtico, in politico tamen ordine, electum Dei organon ſit futurus; ſiquidem Deus utrumque brachium requirit, nec minus tribunali quam ſacrae cathedrae proſpicit. Hoc ipſo die atque adeo VII. Calendarum Februarii Anno R. G. clo Io c xxxv. poſt horam I. poſtmeridianam in uitam hanc communem exiit, inter medias belli tempeſtates, Nimptſchii, urbe in principatu Brigenſi ſita, in ipſa arce principali. Patrem coluit IOANNEM CASPAREM A LOHENSTEIN, Senatorem, nec non Redituum Auguſtiſſimi Imperatoris in urbe quam modo diximus, Praefectum; matrem uero SVSANNAM natalibus SCHAEDELIAM: Communis patriae tumultus in utero adhuc materno in arcem principalem ad quaerendum ibi praeſidium collocabat, quem Principes poſtea Virum in curiam uocarunt. Parentes, quo officio ſuo facerent ſatis, filium mox Chriſto conſecrarunt quo maculam, quam quaſi hereditatem cernunt mortales & propagant in poſteros, ſacro fonte elueret; ubi fauſto auſpicio DANIELIS nomen tulit, quod parentes poſtea docuit, nominibus nonnunquam ſecreta ineſſe myſteria, & felicem ſaepius exitum denominationis finem quem ſibi propoſuerunt, longe ſuperaſſe. Cum uero

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [287] - 267

ro nemo mortalium perfectus naſcitur, quemadmodum ſilices qui in Inſula Cuba egregiae formae inueniuntur, imo Socrates ipſe, cui ſapientia coelitus delapſa tribuitur, truncus natus eſt; hinc proba educatio rectaque inſtitutio fuit neceſſaria. Principia usque ad annum ſeptimum Tobiae Iungio, progreſſum uero M. Kloſio, M. Valentino Kleinvvaechtero, & M. Iechnero Rectoribus Gymnaſii S. Mariae Magdelenae in urbe Regia Vratislauienſi meritiſſimis in acceptis retulit. Singularis induſtria, quam ibi per nouem adhibuit annos ac felix quo a natura inſtructus erat ingenium, anno clɔ Iɔ CLII. atque adeo iam XIV. aetatis ſuae anno apum reddidit Academicas Doctorum Lectiones frequentandi. Quare Lipſiam adiit, ubi ſingularis ei obtigit felicitas, praeter ceteros Profeſſores celeberrimos, magnum ac ſcriptorum celebritate in toto orbe literato famigeratiſſimum Carpzouium e cathedra differentem audiendi. Exinde fama excellentiſſimi Lauterbachii inuitatus, Tubingam abiit, cuius praeſidio munitus, eruditam diſputationem, quam inauguralem appellare conſueuimus, de Voluntate (adiectiuum nomen certas ob cauſſas ſtudio omiſit) ſummo cum Auditorum applauſu publice habuit. Si labor atque ars naturae auxilio ueniunt, per inſitionem arborum, tranſplantionem florum

florum ac certa uitra, uarias plantas citius ad maturitatem perducere poteſt. Quid mirum itaque in LOHENSTEINIO, qui uelut alter Demoſthenes, nemini opificum in officina ſua cedebat, & cum Carneade ſaepius cibo ac potu obliuiſcebatur, ſi induſtria nobile quinquennium ſtudio Iuridico alias ſacratũ ſuperauit, quo oculos animumque citius in Contemplatione orbis terrarum, quemadmodum hactenus in libris, paſceret, quoniam haec eius ope demum ad perfectionem perducitur, eadem ratione ac coralli in aere demum indureſcunt. Perluſtrabat itaque ab initio caput Europae, Romanum imperium, aulas Principum Electorum ceterorumque Ducum, praecipue anno cIↃ IↃC LIV. in Comitiis Imperii, Ratisbonae praeſentes. Exinde paragrata magna Heluetiae parte, ad elegentiſſimum Rheni tractum ſe conuertit, tandemque in Belgium foederatum, ubi cum amore urbium elegantiſſimarum, tum praecipue Virorum eruditiſſimorum retentus, temporis quoddam ſpatium conſumſit. Cum uero in reditu, patriam, quae omnes omnium caritates complectitur, feliciter attingere ſperaret, fere finem uitae cum itinere feciſſet, ſiquidem tredecim naues tempeſtate quadam maris oborta, in conſpectu ipſius interierunt, atque unica demum qua uehebatur, diuino plane beneficio ab interitu uindicata eſt. Hic uero Ario Lesbius

bius cum nauibus pereuntibus animum non perire paſſus eſt, & quamuis non delphin ſe ad traiiciendum offerret, ſpem tamen omnem uelut anchoram in diuini Numinis poſuit auxilio, quod nec ipſum patria, nec patriam tanto filio orbare uoluit, ſed hoc praeſentiſſimo periculo exemptum ad urbes Hannſeaticas comitatum eſt, tandemque Vratislauiam feliciter reduxit. Hic uariae ad munera publica promotiones, cum in patria, tum extra eius fines ipſi offerebantur, iuuentus tamen ac cupiditas Italiam ac Galliam peragrandi, (quarum ſermones una cum lingua Hiſpanica eadem ratione ac Scaliger, Muretus & Caſaubonus eruditionem ſuam fere ſine cuiusquam ductu cum omnium admiratione didicerat,) honores ſibi oblatos deprecabuntur. Quo facto iter in Italiam ſuſcepit, peſtis uero quae tunc graſſabatur, cauſſa erat, cur Graecii in Stiria, Vindobonam reuerteretur. Itaque magnam Hungariae partem uidit, ac cum domum reuocaretur, eadem promptitudine qua antea patri obſequium praeſtabat. Breui tempore poſt fructus ſtudiorum per felix matrimonium cum ELISABETHA A LOHENSTEiN, nata HEERMANNIA anno clɔ Iɔ c LVII. XVI. Octobris ſolemni ritu contractum, percepit. Immortale Numen foecundum reddidit hoc coniugium, felici natiuitate trium filia-

filiarum uniusque filii magnae expectationis. Quemadmodum uero DEVS nobiliſſimis hiſce pignoribus familiam eius auxit, nam coniugium ſine prole eſt quaſi dies ſine ſole, hortus ſine floribus, atque arbor ſine fructibus; ſic quoque officia quae patriae multisque hominibus praeſtabat, omni tempore ex uoto ſuccedebant. Teſtis eſt curia VVürtenbergico Oelſenſis, quantos uberrimos fructus Domui huic Sereniſſimae tulerit ex eo tempore, ex quo eiusdem commodis inſeruire cepit. Merita eius ſummos huius orbis eo impulere, ut de felicitate ipſius officiis utendi, inter ſe inuicem contenderent, donec tandem Vratislauiae, patriae ſuae, ſe maxime obſtrictum eſſe exiſtimauit. Officia quae in Syndici munere Regiae huic urbi praeſtitit, non egent ut publice narrentur, publica autem calamitas, quod ipſum ut ante hac grauiſſimae cauſſae Viennam, Curiam Imperatoris Auguſtiſſimi ablegauerit. Euentus feliciſſimus ſemper coronauit expeditiones ſuas, & multi exterorum quibus ipſe haud magis quam Demetrius Hermogeni notus erat, experiebantur: Quod Sileſia Viros alat, qui Sinenſibus oculum prudentiae mutuo dare, ac nihilo tamen ſecius acutiſſimo ingenio eſſe ualerent. Quare in multo clementiſſimo Diplomate receptionis Auguſtiſſimi LEOPOLDI in numerum Conſiliariorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [291] - 271

orum merita ſingularia, atque admirabiles animi dotes grauiſſimum ſubminiſtrabant argumentum. Curiae rebus, quibus ſe totum ſacrauit, dies noctesque dedit operam, ſaepe etiam cum inſigni ualetudinis ſuae damno; noctes uero curis magis quam ſomno conſumſit; ſecum fortaſſe ponderans, quod nimis tempeſtiue ad perpetuam quietem ſit tranſiturus: Quod reliquum erat temporis magnam partem expolitioni linguae noſtrae uernaculae ſacrauit; Siquidem Cleopatra, Agrippina, Epicharis, Sophonisbe & Ibrahim, ſacraeque meditationes, una cum panegyrico poſtremi Ducis Brigenſis, Sereniſſimi quondam GEORGII GVILIELMI manibus ſacer, ulſatis ſuperque teſtantur. Arminius uero argute ſcriptus uariisque ſcientiis locupletatus, auctoris licet iam pridem in cineres ſit redactus, memoriam apud poſteros conſeruabit. Exitus tot cauſſarum forenſium gruuiſſimarum comprobauit: quod alter Papinianus perfectiſſimusque fuerit I C T V S; Orationes funebres pro concione habitae; quod alter Demoſthenes atque Ariſtides; Aulae Imperatoris Romani, multorumque Principum, quod Politicus fuerit exactiſſimus; Vita uero per XLVIII. annos & XIV. hebdomadas acta, quod optimus Chriſtianus uixerit ac mortuus ſit. Equidem repentino mortis genere correptus eſt, ſiquidem VI. Ca-

Calend. Maii A. cIↃ IↃ C LXXXIII. hora XII. meridiana praeter expectationem apoplexia tactus, beate tamen ex hac uita discessit. Impossibile enim est, ut is qui DEO atque Imperatori suo fidelis, sanctae iustitiae ac patriae uniuersae incrementa & commoda promouens, proximoque utilis fuit, alia quam beata morte uitam finire potuerit. Si uero beatus est, prout reuera est, non lacrumis nostris ipse, nos uero aeterna ipsius gloria indigemus.

SCRIPTA:

Cum singula in Curriculo Vitae iam sint recensita, hic indicare supersedemus.

XV.

Philosophus Christianus
in Viro Celeberrimo
DN. JACOBO THOMASIO
Lipsiensi, Eloquentiae in Academia Patria Professore Publico
Minoris Principum Collegii Collegiato,
Academiae Decemuiro, Facultatis Philosophicae Seniore,
Die IX. Septembr. Anno MDCLXXXV.
in Anniuersariam eius memoriam Auctoritate publica
Delineatus & laudatus
a
D. VALENTINO ALBERTI. P.P.
S IACO-

IACOBVM THOMASIVM lugemus; Philoſophum Chriſtianum celebramus. Scio Vos, R. M. Conſ. Nobil. & quotquot adeſtis, omnium ordinum ac dignitatum auditores honoratiſſimi, audita hac praeconis quaſi funebris uoce, ſtatim intelligere tam ea, quae iam agimus uniuerſi, tum illud, de quo ego dicturus ſum, argumentum. IACOBVM THOMASIVM lugemus; at quantum Virum, & quam immature, hoc die, ſuperiori Anno, nobis ereptum! Hoc uno nomine, A. enumero, damna illa omnia, quae per iacturam tanti Viri patimur magis quam ſentimus. Philoſophum enim amiſimus, non plepeium; quo titulo Ciceroni omnes ii, qui a Platone & Socrate, & ab illa familia diſſident, appellandi uidentur; ſed eximium, ſed conſummatiſſimum, unoque uerbo Chriſtianum. Hunc celebramus, poſtquam non licet nobis ulterius uenerari uiuentem, aliaq; humanitatis officia exhibere. Plura uero cum ſint ingenii eius ac uirtutum monumenta, laude omnino digniſſima; duo tamen ego ſemper admiratus ſum inprimis in Viro ſummo, quod illa non in omnibus, qui nomen Philoſophorum obtinuerunt, aeque inuenire potuerim. Vnum eſt quod in humanioribus non minus literis quam Philoſophia, raro exemplo, adeo excelluerit, ut paucos

cos pares, neminem facile superiorem haberet. Alterum, quod Christianus Philosophus fuerit. Vtrumque, A. elogium tantae est amplitudinis, ut una Oratione describi neutrum, nedum celebrari possit. Non enim uulgare animal est, quodque passim obuium habeas, Philosophus qui simul Poëta sit, simul Orator, imo Polyhistor. Magna, inquit Seneca & spatiosa, res est sapientia: de diuinis humanisque dicendum est, de praeteritis, de futuris, de caducis, de aeternis. Quamcunque partem rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quaerendorum ac discendorum fatigaberis. Nec angustius spatium est, quo literae illae, quae humaniores non immerito appellantur, plene continentur. Ex his Eloquentiam se cum Philosophia iunxisse gloriatur Cicero: Platonem, Demosthenem, Aristotelem ac Isocratem idem facere potuisse concedit; suo tamen studio delectatos contemsisse alterum notat. Noster uero, quod illi potuerunt reipsa praestitit, imo longius progressus geminoque illo cum Philosophia dicendique arte connubio non contentus, omnes, quae in elegantioribus spirant literis, Veneres Gratiasque conciliauit sibi atque copulauit. Longe tamen nobilius encomium mihi semper uisum est, Philosophum dici Christianum. Quod si enim Christianum no-

men ſublimius eſt, quam Patritii & Conſularis, iudice Hieronymo; quantae dignationis erit titulus Philoſophi Chriſtiani, ſi componatur cum nominibus profanis omnibus, quae humanae ſapientiae ſpecioſe magis quam uere tribuuntur. Verus, inquit Gregorius Nazianzenus eſt Philoſophus, Chriſtianus. Nouit ille, quae gentili cognita ſunt omnia, praeterea uero certior euadit de multis, quae gentilem latent; audiens nimirum narrantem Spiritum S. multa de natura rerum, multa de moribus hominum, aliisque rebus, de quibus Gentilis Philoſophus percipit aliquid ex metallorum foſſoribus, agricolis peregrinatoribus, uerbo, ex hominibus. Qua propter, cum THOMASIVS tantus, quod eſt, Chriſtianus Philoſophus omnino fuerit putaui ego, me mandatum Inclutae Facultatis Philoſophicae melius implere non poſſe, quam ſi Seniorem Eius optime de nobis omnibus meritum, Chriſtianum Philoſophum fuiſſe, luculenter atque certo demonſtrem; cumque Beatus ipſe, quod probe ego noui publiceque fateor & atteſtor, ſummam laudum ſuarum quaeſiuerit in hoc atque poſuerit; Spero fore, ut toti etiam lugenti familiae, Vobisque omnibus, A. id non ingratum ſit futurum; quo etiam nomine Vos omnes atque ſingulos, ea qua par eſt, obſeruantia & humanitate compello, oro & obteſtor.

IA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [296] - 276

IACOBVM THOMASIVM lugemus; Lipſienſem Philoſophum celebramus. Ita liceat mihi, una mutata uoce, proaemiari, ubi de Patria Beati dicendum eſt nobis. Laudes uero Lipſiae, quas cum Orbis nouerit, ipſa ignorare non poteſt, nec expectate a me, A. labotante non inopia ſed copia earum laudum, quas uirtus atque eruditio proprias Noſtro fecerunt atque peculiares. Nec Seriphius olim, ſi Athenae patria ei contigiſſent, fuiſſet Themiſtocles, nec hodie unus quisque, qui Lipſiae naſcitur, eſt THOMASIVS. Tantillum ſoli Patriae ſolo, ſi uerum fateamur, eſt adſcribendum. Id tamen diſſimulare non poſſum, quod etiam ad argumentum meum accedit propius, Philoſophos Lipſienſes a tempore Reformationis in hunc usque diem, Philoſophiam, quam Chriſtianam uoco conſtanter docuiſſe, eamque, ubi data fuit occaſio, commendaſſe. De Camerario Viro Maximo, tot mihi ſuppetunt teſtimonia, ut ubi in recenſendis iis incipere poſſim, ubi deſinere debeam, mihi non conſtet. Sed nec opus eſt ea proferre de Philoſopho, Melanchthonis amantiſſimo ſimillimoque, inter Doctores Philoſophiae Chriſtianae merito ſuo eminet, quantum

Inter ſtellas luna minores,

Inter recentiores noſtrique Seculi Lumina

dignus eſt, qui nominetur prae aliis, Neldelius; nam

quod omni
Naturae regimen Sol eſt & gratia mundo,
Lipſidos ille fuit;

quo elogio a uicinae Academiae Poëta publice honoratur. Hunc autem quo propius mihi communis iungit Patria, eo magis gratulor Nobis de conſenſu eius, imo de luculentiſſimis ſpeciminibus in aſſerenda tradendaque Philoſophia Chriſtiana. Ex innumeris audite unum, A. idque illuſtre oppido maximeque obſeruandum. Nihil Ariſtoteles frequentius, nihil grauius in doctrina nobiliſſima, quae modum demonſtrandi tradit, ipſe adducit atque inculcat, quam τὰ πρῶτα καὶ ἀληθῆ quae ſunt propoſitiones ueritatem ſuam, quam poſſident pleniſſime, non accipientes aliunde, commodantes autem liberaliter omnibus, quorum demonſtrationem inſtituimus. Harum aliquae cum e Lumine Naturae innoteſcant nobis, quae omnibus tam gentilibus quam Chriſtianis ſunt notiſſimae; quasdam tamen nouas e Lumine Gratiae adiecit Neldelius, nulli, niſi Chriſtiano Philoſopho notas atque approbatas; quales dicit omnes eſſe illas, quas per Filium per Prophetas & Apoſtolos patefecit nobis Deus. Nihil tamen his certius: cur igitur non referrentur ad τὰ ἀληθῆ aut uera? Nihil prius

prius ipsis, per quod probentur; ad quid itaque, nisi ad τὰ πρῶτα pertinerent? Non enim, inquit Neldelius ipse, licet sine impietate quaerere, cur ea, quae Deus nobis per filium reuelauit, aut per Prophetas & Apostolos patefecit, uera sint & credenda, quia Deus ipse causa illa est, propter quam uera sunt, quae nobis per Christum, Prophetas & Apostolos patefecit: Θεὸς ἔφα, χριστὸς ἔφα. O ingens lucrum, quod Christiana inde Philosophia largissime accipit, inque usum suum felicissime uertit. Hae enim cum sint theses in scientia Theologica uerissimae, euadunt subinde hypotheses in Philosophia Christiana certissimae, quibus uti saepius tutoque niti possit. Lipsia uero cum hunc aliosque eis similes Christianae Philosophiae Doctores habuerit olim; quis THOMASIVM eodem loco natum, natura quasi ad idem studium destinatum fuisse miretur? Non negauerim quidem:

Summos posse uiros & magna exempla daturos,
Veruecum in Patria crassoque sub aëre nasci;

Veteres tamen sapientes uero non minus, quam uulgato dicto, τῷ εὐδαίμονι τὴν πόλιν εὐδόκιμον beato, ciuitatem laudatam & probatam assignant patriam, multumque ei prodesse credunt. Quanquam enim loco

ipsi, quod iam fassi sumus, parum tribuimus, exempla tamen incolarum multum ualent, & ad imitationem uirtutis tenellam aetatem incitant ualde ac impellunt. Talia uero cum non pauca Lipsiae ante oculos habuerit Noster, quae fortunae benignitas ipsi cum aliis pluribus communis fuit; in eo tamen plerisque felicior extitit, quod inter Maiores suos inuenit Doctorem, quid? Ductorem in sectando Philosophiae Christianae studio fideliſſimum celebratiſſimumque. Nomen requiritis A? Dignum est, quod semper memoretur, & inprimis inter laudes Nepotis sui referatur. Sed quis, hoc audito, non meminit statim Iacobi Schultesii, quem Beatus Auum habuit ex Matre honoratiſſimum? Inter ICtos quidem eminebat ille adeo, ut propter summam in respondendo de iure dexteritatem plurimaque in foro edita Specimina, Sereniſſimus Saxoniae Princeps in Aulam Altenburgensem ad consilia danda ipsum euocaret; & tanquam Oraculum suum audiret atque ueneraretur; memor tamen ille, Iurisprudentiam esse debere ueram Philosophiam, putabat talem haud esse posse certius, quam si euadat Philosophia Christiana. Ad hanc igitur excolendam, quid? ad docendam, quid? ad defendendam eam omnem ingenii aciem conuertit, omnes scientiae neruos intendit. Nec frustra; cum contra

tra Christianorum Sophistarum pessimos fidem haereticis seruandam esse, publico scripto asseruerit, breui quidem illo, sed erudito omnino, sed uero Christiano, quodque non exalia, quam Ghristiana Philosophia, desumpsit, & in immortalem nominis sui laudem apud ueros Christianos testem doctrinae fideique suae reliquit. Inter mutos Praeceptores, hunc beate pridem mortuum, habebat Noster cum per decennium Parentes optimos, Michaëlem Thomam, Iurium Doctorem Eximium, & caussarum Patronum insignem, Annamque Schultesiam, foeminam honestissimam, uiuentes sequeretur Duces, non ad aliud quam quod uere Christiana Religio exposcit aut admittit studium. Credi uix potest, A. quam efficax sit pietas in bonis etiam literis pure imbibendis, si tenerae illa aetati debite instilletur nouisque subinde accessionibus augeatur. Debuit has Beatus noster Auiae suae, Marthae Grossiae, omnibus sexus sui uirtutibus ornatissimae foeminae, quae omnem, qua inprimis pollebat, prudentiam & dexteritatem, in educando Nostrum fratresque ad idem decus natos, post immaturum beatissimorum Parentum obitum fideliter insumebat, feliciter consummabat. Debuit easdem Doctoribus domesticis Oelero, Colero, Blauschmidio, Praetorio, Franco, qui linguas artes-

que liberales docebant adolescentem sedulo atque diligenter, & quod laude atque commemoratione imprimis dignum est, pie planeque Methodo Christiana, qua nihil inter partes eruditionis numeratur ac proponitur, quod a pietate non mandatur aut commendatur. Quae cum domi facta esset praeparatio ad discendam Philosophiam Christianam exquisitissime, foris continuata fuit diuina prouidentia prorsus singulari. Gymnasium cum a Iuuene frequentandum esset, antequam in edita illa & serena sapientum templa pedem inferret; nullum aliud placuit, quam Geranum; sed quo nullum etiam aliud, quod absque adulatione dixerim, magis adhibuit unquam methodum docendi Christianam; illo quidem tempore per Lindemuthium & Saltzmannum; post per Mitternachtium, hodie per Cöberum; Viros, tanta pietate, quanta eruditione, quod est maxima, & ad utramque discipulis suis inculcandam aptissimos intentissimosque. Academiam uero cum ingredi uellet, sic instructus foris, sic domi praeparatus, quam qui optime; elegit non sine nutu Dei prudentumque consensu uicinam Vitembergensem, officinam illam omnis eruditionis instructissimam, Magistram uitae fideique Christianae nulli secundam. Nostis A. quanta sint huius Academiae merita in religionem puriorem, tanta nimirum,

rum, quanta ſolent eſſe, cum ſunt maxima; ſed & ſtudium eius quod in Philoſophiam Chriſtianam ſemper impendit, ſingulare, non ignoratis. Nihil dicam de Melanchthone. quem iam laudauimus huius Philoſopiae Coryphaeum. Nihil de Vito Vinſemio, Succeſſore eius digniſſimo, qui tanto Philoſophiae Chriſtianae amore ſlagrabant, ut tempore Interregni Crypto-Caluiniſtici iacturam Dialecticae Profeſſionis quam unius exempli propoſitionum inuſitatarum, quod propoſitiones ſacramentales recte dicebat eſſe, facere mallet. Nihil adiiciam de aliis horum ſimillimis atque aemulis; cum e iunioribus unus ſufficiat Balthaſar Meiſnerus, qui Philoſophiam Chriſtianam Vitembergae, ſucceſſu non minori quam conatu, ad tempus docuit, aeternum ſtabiliuit. Quo reſpiciam, intelligitis facile, A, qui ſobriam ab ipſa Philoſophiam in literas publicamque lucem miſſam eſſe, probe meminiſtis. Videbat nimirum Vir perſpicaciſſimus, Sapientiam humanam, niſi diuinam agnoſcat Ducem, homini temulento non eſſe diſſimilem, & in lapſum procliuem. Hinc de ſobria, aut quae ad inſtar ſobrii, ab erroribus ſibi ſolicite prudenterque caueret, cogitauit, eamque non aliam quam quae a me Chriſtiana dicitur, eſſe deprehendit. Hanc inuenitis, Studioſi iuuenes, Commilitones Suauiſſimi, per omnes

omnes Philoſophiae partes diffuſam, totamque delineatam, quid? expreſſam in aureis illis Voluminibus, quibus titulum Philoſophiae ſobriae ipſe impoſuit. Hac inebriamini ſaepius, ſi ſobrie philoſophari uelitis; hanc conſulite ſemper, ſi Chriſtianam Philoſophiam adipiſci cupiatis. En THOMASIVM Noſtrum exemplum Vobis examuſſim, quod non minus tuto quam utiliter imitari poteſtis. Veniebat ille Vitembergam, poſtquam mortuus quidem iam ante tredecennium circiter, eſſet tantus Philoſophiae Chriſtianae Doctor; qui tamen ab ore eius ſedulo pependerant, diſcipuli eius atque aſſecae fidiſſimi dexterrimique, Scharfius in primis atque Spenglerus, uigebant ibi, nec tam ſibi quam Iuuentuti, eamque ad ductum Doctoris ſui Meiſneri in penetralia Philoſophiae, nulli, niſi Chriſtiano, patentia, perducebant. Pompeium quidem, Euclidem alterum, & Buchnerum, noſtri Seculi Ciceronem, frequenter audire, ſeduloque imitari haud negliebat unquam, tanto utriusque applauſu, ut cum Buchnerum poſtea referret ipſe Lipſiae, Orator imo Doctor Eloquentiae facundiſſimus, colloquium ipſi redintegrare cum illo atque continuare liceret. Studio tamen Chriſtianae Philoſophiae inprimis tenebatur, adeo quidem, ut Sperlingium etiam Naturae Myſteria ſuauiter explicantem

tem

tem diligenter auſcultaret, quippe quod, ſecundum Methodum Chriſtianae Philoſophiae propriam, ſententiam ſuam narratione Spiritus S. ſaepius confirmaret, tametſi ab Ariſtotele diuerſum haud raro ſentiret. Ita ſpectatus Vitembergae publice priuatimque, praeſertim cum ſub Chriſtiano illo Philoſopho, Iohanne Scharfio, aſſertiones de Relatione, quas ipſe in chartam coniecerat, iudicioque doctiorum ſubmiſerat, non ſine applauſu in Cathedra defendiſſet, Lipſiam reuerſus eſt, quod ſciret hic etiam eſſe, quos in omni eruditionis parte, ipſaque Philoſophia Chriſtiana, Duces ſequi poſſet. Academia Noſtra, A. Ariſtoteli ailas fauet, eumque, adhibet Ducem, quem in lectionibus publicis docentes non minus quam diſcentes ſequantur. In quo paria facit in Germania cum Academia inprimis Regiomontana & Helmſtadienſi, apud Batauos cum Leidenſi; de qua ſcribit ad Ianum Douſam Ioſephus Scaliger, incolumitatem eius omnem a Philoſophia Ariſtotelis dependere, adeo, ut aliam illi ſectam iungere uelle, nihil aliud ſit, quam Venetorum factiones & Praſinorum inter ſe committe, aut Pontificiam Religionem inducere. Nec abnuerim ego Doctores illos publicos egregiosque, quorum doctrinam Beatus inprimis amplexus eſt, Coruinum, Riuinum, Mullerum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [305] - 285

rum, Bauarum, Preibisium, Aristoteli addictiores fuisse, quam Nouatores, ex ingenii sui petulantia aut luxuria, uelint aut consultum esse putent. Per calumniam tamen iurare dicimur in uerba Magistri Nostri, Aristotelis, amicum habentes Platonem, amicum Aristotelem, sed amicam magis ueritatem; tantum abest, ut si quid coelisti ueritati aduersum uideatur; in gratiam gentilis Philosophi asseramus, doceamus, propagemus. Hac libertate usi sunt Magistri eius in docendo; hanc ipse adhibuit, quamdiu discceret, imo, postquam alios priuatim publiceque informaret. Tantas nimirum tum in Vitembergensi, tum in Nostra Academia in bonis literis fecerat progressiones, ut primitias honorum Philosophicorum, quas Baccalaureatum dicimus, primum, deinde decimas quoque, per quas Magisterium eiusque iura & Priuilegia omnia intelligimus, & ambire sine Superbia, & consequi sine difficultate, & sustinere, cum laude inque commodum Boni publici exercere posset ac dispensare. Faciebat hoc solertissime, tam disputando acute acriterque, quam explicando bonos Auctores eleganter utiliterque, tum quoque cum nullo adhuc, nisi Magistri axiomate, ornatus esset. Sed parua mora; cum tantus Superiorum applausus eum exciperet, ut in ordinem Philosophorum unanimi omnium con-

consensu, quid? in coetum Doctorum publicorum, Dei ac Principis gratia, prompte reciperetur. In laudes horum officiorum excurrerem, A. nisi apud maleuolos in caussa communi Suffenus uideri possem; aut his phaleris laboriosissimum, sed & utilissimum uitae nostrae genus, opus haberet. Viuimus molestе, ut suauiter alii discant uiuere; consumimur ipsi, ut alii consummentur. Id tamen fatendum est mihi, quodque e Vobis; A. ingenuus quisque non dissimulabit; non omnes nos, qui publicae doctrinae praefecti sumus, THOMASIOS esse aut esse posse. DEVS quidem in omnes est indulgentissimus; diuerso tamen modulo sua distribuit munera, grato ab omnibus animo agnoscenda & depraedicanda. Quis uero nisi Inuidia ipsa negauerit, Beatum prae aliis a DEO benignius habitum fuisse? Friderichius Noster erat; hinc in Cathedra tam Scholastica quam Academica docebat non minori cum laude quam fructu; Dresserus, imo Camerarius Noster erat; hinc non minus ac illi, plures, quanquam non easdem Professiones, nec simul omnes, sed unam post alteram, applaudentibus omnibus obibat. Memini adhuc illius horae, qua ante duos & triginta annos ex hac Cathedra doctrinam morum, me nouitio Auditore, auspicatus fuit. O quam solide probabat, quam per-

perſpicue explicabat, quam eleganter exprimebat omnia! Eandem laudem conſecutus tuitusque eſt, imo auxit nagis magisque, cum Dialecticam deinde, tandem Eloquentiam e Cathedra publice doceret. Tanta uarietas doctrinae quem non rapiat in admirationem? quem ad celebrandum DEVM, qui tam liberalis in hoc organum ſuum fuit, non impellat? Quid fiet, ſi obſeruauerimus, ceu par eſt, atque depraedicauerimus, inter alia docendi artificia, etiam illud, quod materiam laudum elegimus in primis, & in quo Beatum Noſtrum, chriſtiana Philoſophantem methodo, inſigniter excelluiſſe, nouimus omnes. Teſtes erunt, qui publice audiuerunt ipſum, qui priuatim. Collegia Domi aperuit abſoluitque ſeptuaginta & unum. Ex his non paucorum pars pertriennium & ultra, ego quoque fui. Atteſtor uero, coram Vobis, Audit. Solemniter, & qua decet, fide, me nihil magis admiratum fuiſſe unquam in Praeceptore Optimo, quam utilem illum atque licitum, imo neceſſarium Chriſtianiſmi & Philoſophiae Syncretiſmum, e quo ipſa Philoſophia Chriſtiana naſcitur, perficiturque. Exercitationum publicarum, quas diſputationes uulgo uocamus, plures habuit quam ſeptem & ſeptuaginta. Audeo dicere, uix unam eſſe ex illis, in qua ueſtigia Chriſtianae Philoſophiae non ſint expreſſa; non pau-

paucas, in quibus integra compareat atque regnet; e quibus si solam illam de styli Ethnicismo fugiendo nominauero, facile fidem meam apud omnes liberabo. Libros conscripsit non paucos, sed ad amussim Philosophiae Christianae, omnes. Loquitur hoc integra Dissertatio de Exustione mundi Stoica, totumque Schediasma Historicum de antiqua Philosophiae definitione. Testantur hoc insperſi ubique flosculi in reliquis omnibus, quae aeternitati consecrauit, scriptis. Euoluatur Ethica Eius, Metaphysica & inprimis Physica; e quibus uerba producerem ipse, si patientia Vestra A. abuti uellem, idque iam alibi a me non esset factum. Ex hac caussa siue hic cum nemine, siue alibi degeret, lubentius egit, quam qui Christianum Philosophum se gereret, factoque non minus quam doctrina talem se esse comprobaret. Inter hos merito, suo, dum uiueret, eminebat Par incomparabile, Conringius & Bœclerus. Vterque amauit Beatum & aestimauit; utrumque redamauit ille atque coluit, eoque lubentius, quo certius nouerat, Philosophiae Christianae Studiosos illos atque addictos esse. Ad Christianae Philosophiae rigorem pertinet, negare, uirtutem ueram atque perfectam a gentili describi posse. Sed ita statuit, seque statuere fassus est Conringius.

Ad Chriſtianae Philoſophiae methodum ſpectat, ius Naturae ad Decalogum, tanquam ad normam exigere ac docere. Sed id faciendum eſſe cenſuit ſcripſitque Boeclerus. Quid igitur mirer, Beatum, cum Philoſophiae Chriſtianae doctrinam in tantis Heroibus ueneratus ſit & ſecutus, ſtudium eius in me comprobaſſe, quid? integra Epiſtola, quae luce publica a me donata eſt, commendaſſe? Huius autem ſpeciminis, quod in gratiam mei non minus quam ipſius Philoſophiae Chriſtianae edidit, haud alium in finem memini, quam ut oſtenderem, exteros non tantum ſed & Collegas, ob ſimile ſtudium, charos ipſi fuiſſe atque probatos. Plura affectus in ſe prolixiſſimi teſtimonia experti ſunt alii, eaque ipſi, ubi libuerit, enarrabunt. Audiuiſtis autem, A. hactenus, quantopere Philoſophiam Chriſtianam in doctrina ſua ſecutus ſit Noſter; idem de uita Eius demonſtrandum eſt, ſed eo breuius, quo certius de eo iam omnibus conſtat. Ipſi enim, A. nouiſtis, qualem in eo Rectorem ſemel, qualem quinquies Decanum, qualem Collegiatum & Decem-Virum perpetuo, quod eſt, Optimum, de ſingulis his aliisque, quae ordine, diuerſis temporibus, in ipſum fuerunt deuoluta, officiis praeclare meritum, habueritis. Domi uero ſi eum ſpectemus, cui ignotum eſt, quam auerſatus ſit plurimorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [310] - 290

morum gentilium Philoſophorum, quin imo Pontificiorum impuriſſimum coelibatum? Quid igitur mirum, quod uxores duas, alteram Mariam VVeberiam, Virginem, alteram Mariam Eliſabetham Eichorniam, Viduam Hornſchuchianam, acceperit, DEO ſingulariter benedicente, ſui ſimiles, quod eſt, pias uereque Chriſtianas? Quid mirum, quod ex iis decem ſuſceperit liberos ſuauiſſimos, quos inter duo Filii ſupremos ſtudiorum honores ex merito conſecuti ſunt, Chriſtianus ICtus famigeratiſſimus, & Gothofredus, Medicus inſignis; duae Filiae, totidem Profeſſoribus celeberrimis, felici Matrimonio iunctae, Ioanna, Fellero, Maria Eliſabetha, Rechenbergio, utinam immatura morte a cordis ſui dimidio, non auulſa! Horum pietati debemus effigiem eius, ad latus huius Cathedrae conſpicuam, quid mirum? nam intuebantur non minus ac liberi atque nepotes ipſi uiuentem cum quotidie, tanquam exemplar uirtutum Chriſtianarum omnium quod ipſi ſuo loco ſtudioſe imitarentur, aliisque intuendum, ſimul, ſimul imitandum, poſt fata ipſa exhiberent. Tam pie, tam caſte, tam iuſte ac benigne cum ſe gerere; Deoque, ſibi, Proximo, pro modulo gratiae diuinae, ſatisfacere, quotidie deprehendebant; imo antequam moreretur, mortem, quid? uitam aeternam ipſam piis cogitationibus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [311] - 291

praecipere obſeruabant. Elegerat ſibi iam dudum uerba illa aurea, A. quibus uiam ſe, ueritatem atque uitam profeſſus eſt ſeruator ipſe, ut inter ceremonias funebres coram Exequiatoribus more laudatiſſimo, exponerentur. In haec collegit ipſe, ea, qua erat induſtria & prudentia, quatuor & ſexaginta diuerſorum Auctorum & Veterum & Recentioram, interpretationes, ut ſermonem funebrem non unum audire uiuus uideretur ipſe; haud aliter ac Carolus V. Auguſtus uiuens uidensque funeri aliquando ſuo interfuit. O Meditationem Chriſtiano Philoſopho digniſſimam nobisque imitandam non minus quam de praedicandam! Philoſophia, inquiebant Veteres, eſt meditatio mortis. Hanc deſcriptionem iam dudum examinauit Beatus publice, priuatim impleuit ipſe. Quo ipſo conſecutus eſt, ut moriens non ſentiret mortem, ſed per uiam, per uitam ſuam, Ieſum Chriſtum ereptus morti, transferretur, ad uitam, quae aeternum durat. O! quam feliciter uno momento proſtrauit inſultus febriles omnes, quibus diu ſatis impetebatur, delaſſabatur; quam fortiter ſubegit carnem; uicit mundum; mortem ac diabolum; hoſtes omnino potentiſſimos, quibus cum quotidie congrediebatur, colluctabatur. Iam quieſcit in pace apud Patrem ad quem peruenit per uiam, per ueritatem, per uitam ſuam Ieſum Chriſtum

ſtum. En IACOBVM THCMASIVM, quem hodie lugemus ! En Chriſtianum Philoſophum , quem ſemper celebramus Dixi.

SCRIPTA:

Philoſophia Practica Tabulis comprehenſa.
Breuiarium Ethicorum Ariſtotelis.
Doctrina Imperii Rom. Germ. Tabulis comprehenſa.
Phyſica , Metaphyſica , Logica & Rhetotica.
Praelectiones iu Regulas Philoſoph. Dan. Stahlii.
Oratio contra Praeexiſtentiam animarum humanarum.
Diſſert. de Plagio Literario.
De ſtoica mundi Exuſtione Diſſert. XXI.
Orationes XXI.
Praefationes ſub auſpica Diſputat. ſuarum LXXXVI.
Schediaſma Hiſtor. de ultimis originibus Theologiae Myſtice & Scholaſticae.
Dictionarium Hiſtoricum Io. Mehlfureri contin.
Diſput, ultra LXXX. ſcilicet.
De poteſtate Legislatoria.
De notitiis innatis.
De Sale.
De Lumine.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [313] - 293

De Coperatione DEI cum cauſſis ſecundis naturaliter agentibus.
De Stellis Caſtoribus.
De Virtute Heroica.
De Cingaris.
De Principe eiusque uirtutibus.
De Manſuetudine.
De Liberalitate.
De Societate Paterna.
De Maieſtate.
De Nobilitate.
De Simulatione.
De Actionibus humanis.
De Subditis.
De Temperantia.
De Mandragora.
De Bello iuſto.
De Societate nuptiali.
De Iure Primogeniti.
De Diſtinctione.
De Hibernaculis Hirundinum.
De Arioſtocratia.
De Electione ſummi Magiſtratus.
De natura & conſtitutione Politices.
De cauſſa Efficiente.
De Oſtraciſmo.
De Tempore.
De Viſu Talparum.
De Putredine.
De Fortitudine.
De Actionum humanarum Principiis.
De Certamine Praeſtantiae inter regnum electiuum & ſucceſſiuum. De

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [314] - 294

De Ciuitate.
De Philautia.
De Gemmis.
Ad Libr. II. Liuii c. 21. seqq.
De Scabinis.
An cauſſa per Accidens ſit ex ſerie uerarum cauſſarum?
De principio Indiuidui.
De minimo numero perſonrarum familiae, & Ciuitatis.
De officio hominis circa notitiam futurorum contingentium.
De IV. uirtutibus cardinalibus.
De Patria poteſtate.
De Anima rationali.
De ratione ſtatus.
De iure Belli Maieſtatico.
De morborum in Republica inteſtinis ac moralibus cauſſis.
De iudicibus Papiſtarum, expurgatoriis.
De amore Parentum.
De Gynaecocratia ſubſidiaria.
De Latrocinio gentis in Gentem.
De morte in undis.
De nominibus atque inſignibus Lupinis.
De Transformatione hominum in Bruta.
De Legato inuiolabili.
De Poteſtate agendi cenſum.
De Inſignibus IV. Euangeliſtarum.
De Miniſtriſſimo.
De idea Boni perfectique Politici.
An DEVS ſit materia Prima?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [315] - 295

De Origine animae humanae.
De ritu ueterum Christianorum precandi uersus orientem.
Religione Christiana non minui fortitudinem bellicam, contra Machiauellum.
De societatis ciuilis statu rationali & legali.
De foeminarum eruditione.
De Duellorum moralitate.
De Barba.
De Elisabetha Angliae Regina.
De cautelis Principum circa colloquia & congressus mutuos.
De iustitia & iure Belli primi Punici.
De Poculo S. Ioannis.
De uagantibus Scholasticis,
De primo falso.
De fabulis Poëtarum.
De Doctoribus Scholasticis Latinis.
De forma hominis.
De Petro Dresdensi.
De Nigello Virekero.
De styli Ethnicismo, circa iurandi aduerbia fugiendo.
De Pontii Pilati iniusto Iudicio &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [316] - 296

XVI.

PROGRAMMA

Quo

Rector Academiae Vitembergensis

FVNVS

BALTHASARIS STOLBERGII.

Graecarum Literarum Profess. Publ. celeberrimi.

Eidibus Nouembr. anno clɔ Iɔ c LXXXIV.

horam postmeridiem I. solemniter efferendum indixit.

VEre quidem existimarunt ueteres, summa & ingenii laude & omnibus doctrinae copiis floruisse Graecos, primasque artium tenuisse omnium, & mira quadam inueniendi solertia antecelluisse ceteris, tantaque dicendi facultate cepisse animos, ut nemo nisi Graecus eorum dignitatem adaequaret, & Romani etiam, quanta contentione possent, Graecorum duntaxat uestigia sequerentur. Quo genere elegantiae praestabat quondam Alexander scitissimus differendi artifex & doctor, ut non instrueret ingenia sed aleret, nec doceret auditores, sed pasceret suauitate literarum teneretque his deliciis,

ne saturati quoque dapes suas fastidirent. Nihil concessit Alexandro BALTHASAR STOLBERGIVS, nec minorem operam sumsit in exornandis graecae linguae studiis & uaria ac multiplici eruditione disputationes suas distinxit, & sententiis exemplisque optimis prorsus illuminauit. Graecorum dissertissimo par, in quo omnes sapientiae liberalisque doctrinae opes recondebantur, quas pari industria fundatas & bene constitutas habuit, & perinde de nobis atque Alexander de Cotyaeis meritus est, multos nec obscuros homines diligentia & eruditionis fama ad se audiendum inuitauit. Quem admirata est iuuentus nostra & studiose coluit, memor ingenii operum, in quibus expressam eius imaginem uidit. Siue enim exponeret scriptores, siue emendaret codices, certe ad priscorum accessit gloriam, & graecae dictionis genus, formamque dissimilis styli & rationes differentiasque omnes, ornamenta denique omnia tam apte commonstrauit, ut ad solidam eius laudem nostro testimonio nihil adiici posse uideatur. Multi nomen eruditioni praetendunt, sed eruditionem ignorant, & a quibus fontibus hauriatur, non recte secum reputant, graecasque literas, unde omnis doctrina proficiscitur illiberaliter fugiunt atque auersantur. Quos STOLBERGIVS quanto maximo conatu poterat, ab inutili & absurdo incepta

cepto retraxit, & Alexandrum cuius magnum & perenne nomen posteritati commendatum est, rationibus a uulgo quam longissime abductis exaequauit, ut nostra oratio eius meritis non sufficiat, sed Aristide quodam praedicatore doctrinae opus esse uideatur. Nunquam illi ad explicandas res difficiles ingenium, nunquam ad iuuandos ciues uoluntas defuit, sed id egit semper conatusque est, ut magnae eruditionis copia, & lectionis uarietate operam studiumque diligentibus ultro offerret. Sed in ea elegantiae sede ita sibi constabat, ut literarum studia minime quaestui haberet, diceretque se labore officii malle opprimi, quam committere, ut literarum decus splendorque omittantur. Mittvveidae Misenorum ex honestissimis parentibus ortus, Anno ∞. Iↄ c XL. quo patria bello ciuili afflicta, ueterem amplitudinem dignitatemque aegre tuebatur. Patrem habuit DAVIDEM STOLBERGIVM, uirum consularem, prudentia & grauitate insignem, matremque Iustinam, Ioannis Romeri, consulatu illic perfuncti filiam, a quibus pietate & moribus optimis est imbutus. Postea ubi uis ingenii apparuit, cultus capiendi caussa Anno ∞. Iↄ c LXV. Dresdenam missus, iudicii maturitatem anteuertit. Inde Grimmam profectus, indolis bonitatem magistris approbauit, & omnium prope expectationem uicit. Ibi graecarum literarum

rarum amor paullatim tunc excitari cepit, cum opportunitatem nactus, diligentia & animi alacritate ipsum se praeceptoribus commendaret. Per id tempus se in disciplinam tradidit Ioannis Merckii, Rectoris Scholae principalis, & Ioannis Schreineri, Prorectoris, qui pariter atque Christophorus Schindlerus nullam eius erudiendi occasionem praetermiserunt, et si ut par est, confitendo inficiari nolumus, futurae magnitudinis fundamenta iecerunt. Posthac Anno ∞. Iↄ c LVIII. Vitembergam uenit, statimque in uirtutis ac gloriae campum descendit, & in certaminibus pulchre stetit, tempusque in humanioribus literis & philosophiae studiis consumsit. Cuius operae specimen ab eo datum est, cum Idyllium graeco sermone scriptum recitaret publice, & suauitate numerorum Dorici moris grauitatem imitatus, facta Saxonici Achillis Diui IOANNIS GEORGII I. summa religione animi celebraret. Lauream philosophicam Anno ∞. Iↄ c LX. adeptus est, quo tempore maxime reuerendus amplisimusque CONSTANTINVS ZIEGRA, Doctor Theologus & scientiae naturalis Professor publicus summa honorum praemia dilargiebatur. Non fefellit opinionem Stolbergius, & aliquanto post facto uirium periculo, in arena graece disputantium sub signis summi uiri IOANNIS ERICI OSTERMANNI uictor constitit, ac deinde in hoc

pugnae

pugnae genere nemine inferior fuit. Haec agenti noua emergendi occasio oblata est, quod Saxoniae Antistiti Iacobo Vellero, honesti eius conatus mirifice placebant: igitur cum res postularet, ipsum filiorum studiis praefecit. Mox Patroni iudicio obsecutus est, & uitae consuetudinem ac res rationesque omnes cum adolescentibus illis fidei suae creditis iunxit. Cum hos & alios labores tam fructuose collocaret, uisum est Patribus, artes & sapientiae studia profitentibus, ei iter ad ingrediendam amplioris doctrinae rationem commonstrare. Quam ab rem ∞. Io c LXIV. locum industria sua dignum in ordine sapientum assecutus, ad graecas literas maxime se conuertit, & crebra artis suae exercitertione, omnium uoluntatem sibi conciliauit. Quod ubi potentissimo PRINCIPI Electori significatum est, dato commendationi loco, eum muneri Professoris Graecae linguae extra ordinem gerendo imposuit, usque dum Ostermanno, in quo Graeca maiestas summa scribendi ornamenta & lumina habuit, defuncto surrogaretur: Quod anno ∞. Io c LXVIII. euenit, & aditu ad publicam gloriam facto, rempublicam multis atque eximiis ingenii monimentis decorauit, multa etiam imperfecta reliquit, consiliis morte interceptis. Cum autem frugalis prouidusque esset, ratioque uitae sic ferret, postea de familia constituenda cogita-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [321] - 301

gitauit. Sub id tempus ad comitia prouincialia ab Academia delegatus uenit, & amplisſimo prudentisſimoque urbis conſule, Paullo Zinckio, Viro ſpectatae & priſcae integritatis, familiariter uti cepit. Itaque patefacto ei conſilio, rationibusque ſubductis, filiam Paulli ſanctisſimam, & caſtimonia, frugalitate temperantiaque nulli ſecundam, DOROTHEAM in matrimonii fidem accepit. Ille graecas literas, iſta familiam ornauit, paribus utrinque ſtudiis, ſociatisque curis. Si calamitates imminebant, ſi orbitatis metus, ſi mala alia ingruebant, praeſidium contra dolores a coeleſti philoſophia petebatur. Haec uera Chriſtianorum fiducia eſt, non cedere aduerſis, & quauis etiam fortuna ſeruare animi moderationem, & res ſpesque ita moderari, ut ſe ipſos non obliuiſcantur. Hoc ſolatio erectus noſter, grauem diuturnumque morbum leuiter ferebat, & inter ſummos exquiſitisſimosque dolores, legendo meditandoque praeſidia aduerſus morbum ſibi comparabat. Cumque res eo rediiſſet, ut tumoribus plane conficeretur, neque ab incredibili Senerti prudentia, neque ab inſigni Losſii & Sperlingii diligentia auxilium expectari poſſet, non tamen animus torpuit, nec a cogitatione rerum ſeriarum auocari potuit, nullamque partem temporis ne in morbo quidem ad otiandum ſibi concesſit. Nunquam uero pendebat a uulgi

gi iudiciis, ſed rationem ſequebatur, nec tamen negligebat, quid alii ſentirent: animo certe ſupra caſus ſuos elato, omnes in ſe intuentes in amorem admirationemque pertraxit. In Senatu & congreſſibus, in conſiliis atque negotiis publicis, in comitiis patriae arduis, in conſulatu Academiae permoleſto, & grauiſſimo ordinis munere, quo ſapientiae ſtudia reguntur, atque in perfunctione honore omnium, cum decoram animi praeſentiam, tum praecipue ſingularem prudentiam demonſtrauit. De ſacris pie, de rebus ciuilibus ſapienter & circumſpectè, de literarum ſtudiis ingenue diſſeruit ac diiudicauit. Tandem morbo difficili & lento exhauſtum ſupremo uiatico refecit uenerandus, & ſolando egregius ſacerdos, IOANNES FABRICIVS, eumque contra inferorum accuſationes & inſidias impetumque firmo & fallendi neſcio praeſidio muniuit. Veſtra refert ciues, ut nobiliſſimi STOLBERGII, meritiſſimi doctoris ueſtri, ſcitiſſimique interpretis, & celeberrimi profeſſoris memoriam reuerenter habeatis, eiusque funus ab hora I. ritu ſolemni deducendum comitatu honeſto & lugubri cohoneſtetis, & uiduae etiam neceſſitudinumque cauſſa id ultro libenterque faciatis, gloriam ceteroquin defuncti non tam in tumulo, quam in animi monimentis quae reliquit circumſpiciatis. Eid. Nouembr. An. ſalutis reparatae ∞.IↃ CLXXXVI.

SVB

EPITHAPHIVM T.T.

SVB. HOC. SAXO.
CONDITAE. SVNT. EXVVIAE.
BALTHASARIS. STOLBERGII.
MITVVEIDA. MISNICI.
QVI
DEO. DVCE. COMITE. VIRTVTE.
TANTAM. GLORIAM. CONSECVTVS. EST.
VT. SACRIS. PARITER. AC. SECVLARIBVS.
LITERIS.
IN. OMNI. GENERE.
ERVDITISSIMVS. SVO. MERITO.
HABERETVR.
AVCTORITATE. CONSILIO. ET. ORATIONE.
GRAVIS.
IN. VITA. SANCTVS. NEMINIQVE.
MOLESTVS.
OMNIBVS. CARVS.
GRAECAS. ARTES. IN. ACADEMIA.
PER. HOS. XIIX. ANNOS.
FIDELISSIME. ET. ACCVRATE. DOCVIT.
MAGISTRATV. SEMEL. IN. TVRBVLENTO.
CIVITATIS. STATV. FVNCTVS.
EXEMPLO. AD. OMNEM. POSTERITATEM.
MEMORABILI
DECANATV. COLLEGII.
SAEPIVS. EGREGIE.

EX-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [324] - 304

EXCESSIT. ANN. AER. CHR. CIↃ. IↃC.
XXCIV. D. XV. OCTOBR.
AETATIS. XLIV.
DOROTHEA. ZINCKIA.
CONIVGII. MEMOR. QVOAD. VSQVE.
VICTVRA. EST.
EXOPTATISSIMI.
MARITO. OPTIMO.
SINE. LIBERIS.
SED. AFFECTV. SEMPER. PIO.
SVPERSTES.
P. S.

SCRIPTA:

Exercitationes de ſoloecismis & Barbarismis N. T. falſo tributis. Vitemb. 1685. in 4.
Notae in Aiacem Sopholis Vitemb. 1678. in 8tavo.
Programmata & carmina uarii generis ſeorſim edita.
Diſſertationes Variae.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [325] - 305

XVII.

ANAΘHMA

DIS MANIBVS

CHRISTIANI DAVMII,

Polyhiſtoris, Philologi, Critici & Poëtae incomparabilis, Cygnenſis Scholae Rectoris Famigeratisſimi, de humanioribus Muſis immortaliter meriti,

Doctoris ſui heu! deſideratisſimi, ſuſpenſum

A

M. CHRISTIANO FEVSTELIO,

CYGN. MISN. P. L. C.

ET ſic etiam
ex noſtri temporis Triumuiratu ultimus
uiuere deſiit.
Non enim minus noſtra, quam ſuperiora
tempora
ſuos habuere Triumuiros,
anni ſuperiores Scaligerum, Caſaubonum,
Lipſium,
proximi Salmaſium, Gaulmynum,
Mauſſacum, (α)
noſtri Barthium, Reineſium, Daumium. (β)
Barthio

(α) V. quae ex P. Colomeſii Cimeliorum literar. p. 99. refert Spizel. Felic. Literat. p. 228.

(β) Reſpicitur ad Io. Cinelli Biblioth. Volantem

lantem Florentiae 1677. in 8. editam, ubi *Stanzia Seconda della Bibliotheca uolante* p. 24. elegantissima de his uiris habet, quae ex libro rarissimo nec cuiusuis usui obuio huc apponere lubet. Sic autem ille l. c. *Palponista Bernardi &c. In una lettera de' 31. Genn. de questo anno 1677. ho ueduto, che l' eruditissimo Sig. Cristiano* (Cristoforo) *Arnoldo scriue al Sig. Magliabechi gloria della Toscana: Cl. Christ. Daumius, qui Bernhardum Geyst. primus edidisse cum notis sibi uidebatur, recipit iam a Cl. Becmanno Fr. ad Od. Bibliothecario Editionem Colon. anni 1501 ex qua errores suos corriget & lacunas denuo supplebit, & de uita Auctoris multa adiiciet: Onde chiaramente si uede, che chi che sia e abile ad errare, poiche il nostro secolo non hà anuto alcuno piu informato dell' erudizione, e de gli Scrittori de' tempi Barbari (eccetuatone, il che anche non so, il dottissimo Bartio) del Reinesio, e del Daumio, e pure essi diedero fuora il detto opuscolo, per non mai stampato, che era stato impresso pocomeno di due secoli auanti: Perche il detto opuscolo in uersi leonini e assai raro, e molti auranno curiosita di sapere perche l' intitoli Palponista, trascriuero qui le parolo dell' eruditissimo Daumio a 44. delle sue Note &c.*

Barthio ergo & Reineſio mortuis,
Triumuiratus ad unum delatus eſt Daumium.
Qualem habituri eſſemus, docuit dies natalis, (γ)
qui paucis magna minitantibus uitam dedit; (δ)
ut recens nati praediceretur excellentia futura ſingularis,
ſingularis ipſum in auras protulit dies.
Patrem in ſuo ordine habebat primum, (ε)
ut filius in ſuo ordine non ultimus uideretur futurus.
Matrem habebat elegantiſſimis moribus, (ζ)
ut filii morum elegantia ex illis colligeretur.
Quae omnia in eo prima probarunt incunabula.

Surcu-

(γ) qui erat 29. Martii, Domin. Iudica 1612.

(δ) eodem die natus Anno 1534. *Sigism. VVernerus*, Scholae Culmbac. Rector. Cui annumerare liceat *Io. Huniadem*, Voiuodam Transſyluaniae, anno 1390. natum.

(ε) Pater ipſi fuit *Dauid*, auus *Martinus* Cygn. 1527. 7. Nov. natus, undecim, quibus interfuit, bellicis expeditionibus, clarus, denatus 1596. 27. Febr. proauus, abauus, tritauus, 1508. Cygn. denatus, Cognomines *Ioannes*, omnes chirurgicae artis exercitio clari.

(ζ) Mater fuit *Catharina*, nata *Streitia*, Norimbergenſis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [328] - 308

Surculus enim quinquennis oſtendebat,
quid ab arbore ſperandum annoſa,
Iuuentus docebat, qualem uirilis aetas ſit
datura,
uirilis aetas, qualem ſenectus.
Infantia iuuenilem ſpirabat notitiam;
iuuentus uirilem eruditionem,
uirilis aetas ſenilem prudentiam,
ut ſic ubique
non tam alios, quam ſe ipſum uiciſſe
uideretur,
annos praecurrendo ſuos.
Parentum praeceptorumque ſuperabat
uota,
dum ſine Grammatica ad Grammaticae
regulas ſcribere,
imo citius loqui, quam ſcribere nouerat;
Nullas regulas doctus, regulas
obſeruabat,
nullius audiens doctoris formationem
omnium reportabat approbationem.
Aetas non niſi Germanicis diſcendis apta
literis
ex ſe diſcebat Graecas, Hebraicas,
diſcebat & tenebat,
tenebat & reddebat.
Feſtinae feſtiuaeque erat indolis.
Magnam nouerat deberi laudem diligentiae,
maiorem diligentiae ſpontaneae,
maximam diligentiae ſpontaneae
continuationi;
hinc erat diligens ſponte & indefinenter.

Cereo erat ad bona, ad mala ferreo ingenio,
difficili ad uitia, ad uirtutes facili,
ut ſponte currenti
non tam calcar, quam frenum addendum eſſet.
Et ſi unquam
in Noſtro prouerbium non fuit ueriuerbium:
praecocia ingenia non eſſe duratura.
Nec enim ad eam potuiſſet pertingere perfectionem,
niſi ante tempus maturuiſſet,
uixmaturuiſſet,
niſi ſpem omnium praeuertiſſet.
Hinc etiam eos in ſchola experiebatur Patronos, (n) quos

(n) ex multis nominaſſe ſufficiat *D. Thom. Steinmezium*, Poetam non infelicem, qui cum Noſtro non ueritus eſt ſaepiſſime carmine decertare, cuius etiam nomini propterea *VVunſtii* precationes inſcripſit. Nec tacendus *D. Ioh. Richterus*, Conſil. Schönburg. qui tempeſtatibus bellicis Academia excluſum liberali hoſpitio ſuſtinebat. Cum quo paria faciebat *M. Chriſtoph. Richterus*, Superint. Geranus, qui ann. 33. Menſe Octobri Lipſia reducem factum menſa & domo ſua excipiebat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [330] - 310

quos aliis uix Academia poteſt ſpondere,
Academia eos ipſi conciliabat, (θ)
quos aliis uix ſummi honores & officia,
Dolendum tamen,
Marte, morte & peſte ſtudia Academica
interrupta, (ι)
dolendum,
naturae obſtetricanti obfuiſſe fortunam
novercantem.
Sed quid?
Vita, non ſtudia Academica impedita,
Academice enim etiam extra Academiam
uiuebat,
legendo, meditando, ſcribendo,
& quod ſumtibus non poterat, labore
impetrabat,
quo fortuna impeditus non poterat,
duce ingenieo, comite induſtria, penetrabat.
Patriae ab Academia & Marte redditus,
eosdem inueniebat Patronos, quos
reliquerat,

(θ) *Barthius* unicus ſit inſtar omnium, in cuius intimiorem penetrauit admiſſionem, cum 664. feſto Aſcenſionis meliora & pacatiora ſperans tempora Philuram noſtram iterato accederet.

(ι) anno 1635. Barthium negotiis ad alia loca auocantibus, & Marte, & peſte omnia uaſtantibus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [331] - 311

imo nouum surgere uidebat, Göetzium, (κ)
cuius filios iisdem praeparabat honoribus,
quos hodienum tenent,
iisdem characteribus aptos reddebat,
quos hodie non sine laude sustinent.
Priuatus publica collustrabat, in publicum
emittens radios, (λ)
ut publica sibi quaererent,
quem priuata sibi acquisierant.
Patriam enim,
quam olim φιλομαθὴς discendo ornauerat,
Πολυμαθὴς docendo debebat illustrare.
Patriae iam ipse gloriam,
patria ipsi honores debebat.
Natum ergo omnibus patria sibi uindicare,
toti mundo editum Cygnea retinere
uolebat;
Sic tamen,
ut ipsum toti mundo natum constaret.
Proinde Tritodidascalum (μ) uocabat,
& demum Rectorem, (ν)

ubi

(κ) *Nicolaus Götzius*, ICtus famigerabilis, hospes eius factus ann. eod.

(λ) Edidit enim in Götzianis aedibus 1642. librum suum de Rad. amissis.

(μ) Tertius in scholam uocatus 1642. 12. Mart.

(ν) Praefecturam Scholae, quam Rectoratum uocant, humeris eius imposuere Patroni 1662. 21. Iulii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [332] - 312

ubi parelium ex perigaeo aſcendentem
uidebat,
Sole adhuc in apogaeo lucente.
Doctore ſcilicet eruditiſſimo adhuc docente,
eruditiſſimus docebat diſcipulus.
Lucebat parelius, Sole lucente,
ſed non aliena, ſed propria luce,
quae Sole maiores emittebat radios.
Aequalis enim erat doctori linguarum
orientalium notitia,
ſuperior uidebatur Latinae, Graecae,
Arabicae,
maior erat Gallicae, Italicae, Hiſpanicae,
Bohemicae.
Candelam ipſi praeceptor praetulerat,
ipſe diſcipulis facem praeferebat.
Extra ſcholam uiuens
ſe digniſſimum oſtendebat ſcholica
functione,
Tertius uocatus, cui ſcholae regimen
traderetur.
Scholae praefectus, cui academica
cathedra. (ξ)
Ad utrumque uocatus,
illud ſucipiebat, hoc repudiabat,
annis Academiae deſtinandis iam a ſchola
ereptis.
Per gradus ergo aſcendebat,

(ξ) factum illud anno 1675.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [333] - 313

ut ſubinde ſe dignum probaret, qui altius aſcenderet. (o)

Magnus (π) ſe maiores ſibique non degeneres educauit diſcipulos,
Polyhiſtor Theologos,
Felleros, Schmidios, Sebiſchios, Pezoldos,
Heidleros,
Thymos, Fritzſchios,
Philologus Iure Conſultos,
Ferberos, Reiheros, Blumbergios, Götzios,
Martinios,
VVeiſenbornios, Peiskeros,
Criticus Medicos,
Götzios, Dittmannos,
Poëta Philologos,
Stepneros, Grafios, VVinteros,
Daumius Theologos, ICtos, Medicos,
Philologos,
Oratores, Poëtas.

Sicuti olim diſcipulus diſcendo docuerat, dum bene diſcendo aliis diligentiae exemplum praebuerat,

ita

(o) Sic enim *Boſius* praef. ad Lect. ad Corn. Nep. *C. D. uir meliore fortuna digniſſimus.* Et *Francus* de Papp. Indic. Expurg. libb. proh. & expurg. c. VII. §. 93. pag. 106. *Cl. Daumius, Vir, ſi quisquam alius altioris honoris faſtigio digniſſimus.*

(π) Sic iam olim Tertius magno *Scherzero* uocabatur in ſuis ad Zechend. 16. Febr. 1656.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [334] - 314

ita praeceptor docendo discebat,
dum non male docendo aliis doctrinam
eruditione praeibat,
& uiarum anfractus discebat,
non ut tereret, sed ut euitaret aliosque
reduceret.
Per multas enim ambages olim deductos
per uiarum compendia incedere docebat,
prolixiores Syntaxeos regulas septenario
includens numero.
Fidem omnem superantia peragebat,
dum pueri memoriam
unico momento uocabulorum myriadibus
imbuebat,
ut nunquam audita sciret,
nunquam nota exprimere posset.
Πολυδιδάσκαλος erat, ubi erat φιλοδιδάσκαλος.
Proderat discipulorum scientiae,
sed ut noceret insciti ae,
ignorantiam exstirpabat, ignorantes
reducebat,
errores eradicabat, errantes corrigebat.
Gaudium capiebat
non ex discipulorum insciti a & negligentia,
ut tempore rem suam faceret,
unde eius apparet ἀυλάρκεια,
sed ex eorum diligentia & studio,
quando sua uestigia legentes uidebat,
unde animus omni uacuum inuidia.
Sicque
Scholae praeerat & proderat, nunquam
deerat.

Prae-

Praeerat uero ſcholae,
nec tamen operam ſuam denegabat amicis.
In ſchola enim uiuens Academicos
docebat, (ϱ) quos

(ϱ) Ex innumeris teſtibus adduxiſſe ſufficiat C. L. ad Beatum 4. Oct. 64. ſcribentem: *Nec eſt, cur Tua merita in publicum & meum quoque bonum adeo extenues. Satis dixero (plura enim Tibi dicere, qui a propria Tua laude alieniſſimus es, mihi non erit integrum) ſi fuero confeſſus, me ex Tuis ſcriptis plus hactenus hauſiſſe eruditionis, quam.* Et I. T. 11. Iun. 72. *Tibi uero, Vir Clariſſime, gratias habeo ingentes, quod ſubinde me multa doceas in libris Tuis, non ignorata mihi tantum hactenus, ſed & fortaſſe, absque iis foret, ignoranda in perpetuum.* R. M. G. 28. Aug. 70. *Ignoſce, ſi tibi negotium faceſſo. Credo tamen te eiusmodi quaeſita non deſpuere. Satisfeciſti hactenus, quoties aliquid rogaui, nec id Tibi difficile, quippe qui in omni genere autorum longe es uerſatiſſimus.* Id. 26. Dec. 70. *Obſeruationes Tuas in S. d. V. C. accepi, & gratiſſimas habui; multa me monuiſti, de quibus antea mihi non conſtabat aut parum.* Id. 30. Mart. 74. *Supereſt, ut meo more agam, & a Te ſcire cupiam, quid ſibi uelint &c.* Id 1. Iul. 76. *nunc pro more meo ad quaeſita me confero.* I. G. O. 22. Mart. 76. *Vnum tamen aut alterum addam feſtinans licet, ne informatione tua circa haec ulterius carens, ambiguus haeream.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [336] - 316

quos non poterat lingua, calamo,
quos non calamo, typis.
Hinc tot epiſtolae, tot ingenii monumenta.
Amicorum ſurgebat precibus priuatim,
nec publice ſcholam in ſe quid deſiderare
patiebatur.
Ita tractabat publica, ut nunquam ſeponeret
priuata.
Publicis ita praeerat, ut nunquam deeſſet
priuatis.
Vnde tantus amicorum exercitus (σ)
ad

(σ) Ex innumeris, qui iam ſuccurrunt, ſunt ſequentes: Val. *Alberti*, Caſp. *Alexandri*, Chriſtoph. *Arnoldus*, Petr. *Axenius*, Balth. & Gottl. *Balduini*, Steph. *Baluzius*, Th. & Caſp. *Bartholini*, Caſp. *Barthius*, Chr. *Becmannus*, Henric. *Beſſelius*, Emer. *Bigotius*, Sigism. *Betulius*, Io. *Bohemus*, Bornmeiſter / Io. Andr. & Paulus *Boſii*, Iodoc. Laur. *Boy*, Aug. *Buchnerus*, Chriſtoph. *Bulaeus*, G. Arnold. *Burgerus*, Fr. *Calenus*, Sam. Bened. & Frid. Bened. *Carpzouii*, Guil. *Capoferreus*, al. Iſernkopff / Chriſtoph. *Cellarius*, Ioſ. & Iſr. *Clauderi*, Petr. *Colbouius*, Theophil. *Cölerus*, G. *Crauſerus*, Caſpar. *Cunradus*, Sim. Dach / Io. Mich. *Dilherrus*, Eſdr. *Etzardi*, Io. Aug. *Egenolphus*, Ioach. *Fellerus*, Io. *Fidlerus*, Mart. *Fogelius*, Chr. Frider. *Franckenſteinius*, Dan. *Francus*, Io. *Friſchmuthius*, Chriſtian.

Func-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [337] - 317

Funccius, Io. *Gebhardus*, Methodius Georgenfelder/ Io. Ern. *Gerhardus*, Io. Georg. *Graeuius*, Io. Frid. *Gronouius*, Marqu. *Gudius*, Chriſtian. *Gueinzius*, Io. Heinr. *Haenerus*, Ge. Reichard. *Hammerus*, Dan. *Haniſius*, Mart. *Hanckius*, Io. Lud. *Hartmannus*, Tob. *Hauſchkonius*, Nic. *Heinſius*, Io. Fr. *Hekelius*, Fr. *Helmius*, Chriſtoph. Hendrich/ Chr. *Hilarius*, Fr. *Hildebrandus*, Bened. *Hopfferus*, Chr. *Iacobius*. Frid. *Kettnerus*, Ge. Caſpar. *Kirchmaierus*, Io. Frider. *Köberus*, Ge. Matth. *Königius*, Matth. von der Lage / Luc. *Langermannus*, Chriſt. & Sam. *Langii*, Caſp. *Loeſcherus*, Io. Petr. *Lotichius*, Iobus *Ludolfus*, Ludolf. Ge. *Lundenius*, Anton. *Magliabechius*, Heinr. *Meibomius*, Aegid. *Menagius*, Io. Seb. Mitternacht / Dan. Guil. *Mollerus*, Sam. *Monachius*, Dan. Ge. *Morhofius*, Heinr. Mühlpfort / Thom. *Munckerus*, Gothfr. & Io. & Io. Gothofr. *Olearii*, Mar. *Opitius*, Io. Eric. *Oſtermannus*, Io. & Heinr. Gothofr. *Peiskeri*, Tob. *Petermannus*, Theod. *Petraeus*, Vinc. *Placcius*, Io. & Otto *Praetorii*, Eſa. *Puſendorffius*, Frider. *Rappoldus*, Io. *Rauius*, Ad. *Rechenbergius*, Reichenbach / Andr. *Reichmannus*, Thom. *Reineſius*, Io. *Reiskius*, Andr. *Riuinus*, Guern. Rolfinck/ Io. Roſenberg / Th. *Ryckius*, Caſp. *Sagittarius*, Balth. Frid. *Salz-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [338] - 318

Salzmannus, Io. *Schefferus*, Io. *Schellerus*, uterque, Ioh. Ad. *Scherzerus*, Bernh. *Schmidius*, Ge. *Schubartus*, Conr. Sam. *Schurzfleischius*, Io. *Schischius*, Io. *Sextus*, Io. Phil. *Sleuogtus*, Seu. VValt. *Sluterus*, Theoph. *Spizelius*, Adr. *Stegerus*, Io. Ge. *Styrzelius*, Io. *Theilius*, Iac. *Thomasius*, Io. *Töpferus*, Ad. *Tülsnerus*, Chr. & Ge. *Vechneri*, Elias *Veielius*, Io. Christ. *VVagenseilius*, Chr. *VVeisius*, Aeg. *VVildius*, Dau. *VVinterus*, Henn. Witte / Io. *Zechendorfius*, Fr. *Ziegnerus* uterque, Matth. *Zimmermannus*.

ad hoc oraculum concurrebat, qui amicitiam eius ambiebant, (τ) obtentam aestimabant. (υ)

Omnium

(τ) Magni *Ludolfi* exemplum hic adducere liceat 18. Oct. 75. his Daum. alloquentem: *Cum eruditionis tuae ea fama sit, ut apud ciues & exteros iam percrebuerit, utique & ego ea frui desideraui &c.*

(υ) De ea sic *B. Scherzerus* ad Zechend. 16. Febr. 56. *Excellentiss. Dn. Daumium honorificentissime saluto, cuius amicitia auro mihi est contra, ex eo, quo ab E. V. percepi tempore, meam qualem qualem animi promtitudinem & affectum VIRO senio non fuisse. Valete nobile Literarum Restauratorum par.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [339] - 319

Omnium ſentiebat amicitiam, nullius inimicitiam,
quia ſe omnibus amicum, nulli inimicum exhibebat.
Quia nulli odium, omnibus amorem probabat,
omnium amorem, nullius experiebatur odium,
niſi homunciones quosdam aut umbellas excipias,
qui contra ipſum inſurgendo aliquid uoluere eſſe,
non ſcribendo, ſed rixando,
non calamo, ſed ſuperbia.
Semper uero laetus, etiam laeſus,
laudabilior certe,
quod ferret inimicitias non meritus,
quam inimici, quod non ferrent uindictas, meriti.
Humilitate enim ſua ferebat,
quod aliorum ſuperbia inferebat,
ut doceret, interdum de ſuo iure cedendum,
& cedendo poſſe uincere.
Aut ſi cum iſtis exercebat ſimultates,
factum ipſius ingratiis, ſine odio.
Si odio quosdam habebat, factum ſine contemtu.
Aeque erat facilis & amicis & inimicis,
illis ſine blanditie, his ſine moroſitate,
illis iuuando, his condonando.
Aeque durus omnibus, & amantibus ſe,
& odio habentibus,

illis

illis ſine felle, his ſine aculeo,
illis diſſuadendo, his monendo.
Multum debebat ipſe literis, ipſi multum literae,
ipſi enim hae conciliarant eruditionem,
his ipſe incrementum.
Vtrumque probant ſcriptorum monumenta.
Plura tamen fuiſſet ſcripturus,
ſi famam captaſſet,
plura eruditis dediſſet, ſi minus fuiſſet humilis.
Quanquam nec laus nec gloria editis deſit.
Sed tamen adhuc amplius ſibi ſuaeque famae profuiſſet,
ſi ſcribendo eruditis plus adfuiſſet,
adhuc plus ſumſiſſet laudis,
ſi plus dediſſet ſcriptorum.
Ambitio ergo, in aliis deteſtanda, ipſi apprecanda fuiſſet,
ut huius oeſtro percitus
plura erudito orbi indulſiſſet ſcripta.
Multa quidem ſcripſit & edidit, (φ)
plura ſcripſit & non edidit, (χ)
pluri-

(φ) Operibus eius a CL. *VVittio* in *Diario ſuo Biographico* magno ſtudio, nec infelici ſucceſſu collecto, annotatis ad *Daumium* noſtrum, annumeranda: *Cato & Columbanus* tertia uice editi, *VValonis Britanni Satyra cum notis*, Bernhard. Geyſtenſi audita, *Strenaeſ. vota metrica*

trica palindroma, *Pſ. CIII. hyporchemate. Onomaſteria D. Balduini*, *D. Bar. Stepneri*, *L. Go. Si. Peiskeri*, *D. Caſ. Löſcheri* Ephororum Cygnenſium, *Xeniorum ſchedia Zechendorfio oblata*, *Vertumni poëtici tres millenarii*, *Thyrſigeri 300. hexametris uariati. Hieronymus Graecus de Trinitate & Gennadii opuſcula.* Ei. *Diſputatio ad Inſtitutionem Chriſtianorum utiliſſima*, ex cuius praefatione, tanquam ex ungue leo, Daumii notitia in hiſtoria erudita colligi poteſt, quam etiam propterea D. Zimmermannus in ſua de Styli elegantia diatribe, Florilegio ſuo praefixa, maximam partem repeti iuſſit. *Notae ad PorphyriumOptatianum*, in fol. inter opera *Velſeri. Notae ad Paulinum Petrocorium. Fabulae Camerarii*, *cum Indice ab aliis carmine redditarum & alibi reperiendarum & notis.* Cura ipſius etiam edita: *VVunſtii precationes Auenarii*, cum dedic. ad *Th. Steinmezium*, quae tamen a pluribus abeſt exemplaribus. *Barthii Soliloquia*, *Claud. Mamertus*, *Guil. Brito*, *Statius*, in quem ipſe confecit indices, *Pornodidaſcalus*, *Gerontica.*

(χ) Typis parata & ferè abſoluta ſunt: *Gymnaſium L. L. Indices L. L. analogici*, quibus omnis omnium ſeculorum & aetatum ineſt Latinitas, quorum ſpes iam olim

olim Vosſii Etymologici editionem ad decimum retinuit annum, *Stichographia*, de qua Ep. 4. ad Reineſ. p. 12. cuius Sciagraphiam inter mea habeo, *Diatribe de nullitate Aoriſti 2. & Futuri 2.* omnium eruditorum calculo approbata, quorum os in praeſentiarum ſit Roſcius in Gr. L. Magnif. Dn. D. Olearius, qui ad Daumium 24. Apr. 73. *Diatriben*, inquit, *Tuam de futili Graeculorum aoriſti & futuri ſecundi figmento cum cura perlegi integram. Dici non poteſt, quantum me hic delectarint* Δοκιμεῖς *tam accuratae, inque pondere non magno ſatis ponderoſae Viri ad repurgandas eiusmodi mendas, queis infinite ſcatet Grammaticalis ille caudex, peculiari quoptam Genio nati Charitibusque educati. Eam ut ipſe manu mihi mea deſcriberem, operam dedi, cum neſcirem, an breui, Deo uolente, excuſam habituri ſimus. Quamuis libentius excuſam eam legerem, quam in membranis. Neque dubito, quin Lectores nactura ſit doctos, & aeſtimium his talibus ſuum ponentes. Bonum praeterea factum, & perquam utile, quod ad magis conuincendum contumaces, Indagatorem Graecae Linguae. h. e. uerorum Thematum apud Graecos, reſtitutionem, pares. Tecum enim, quisquis naris haut obeſae eſt, fatebitur, quam ignorantia cauſarum & aboli-*

abolitarum radicum, tam in Gr. quam L. L. rem omnem confundat Grammaticam, tricis implicet, imo magnam felicitatis partem Criticae ademtum eat. Vtinam uero mox integro ipſo potiamur. De commodo inde orituro non tacebit egregium publicum. Indagator & Reſtitutor Gr. & L. L. Radicum. Variae Lectiones, in quibus Manilius, Claudianus Mamertus, Caelius Aurelianus & alii ad membranas collati, nonnulli ex ingenio emendati, quarum mentio ſaepisſime fit in epiſtolis *Heinſii, Thomaſii, Konigii, Axenii,* aliorum. *Obſeruationes. Vitae Poetarum,* quae multis poſt ſe relinquunt paraſangis Vosſium de P. L. non tantum ob Poëtarum maiorem numerum, ſed ob curatius elaboratas eorum aetates, de quibus Königius Daumio aurem uellit, 12. Aug. 71. *O ſi,* inquiens, *tu poetarum uitas, quas conſcripſiſti, aliquando emitteres. Multa inde diſci poſſent Iamborum purorum & Anacreonticorum liber. Palindroma. Epiſtolae Clarorum Virorum. Notiones Generales. Bernh. Palponiſta* duplo auctior. *De Radicibus amiſſis* quadruplo auctior, *Millenarius quartus Vertumni & quintus,* nondum expletus. *Thyrſigerorum 2000. hexametri & 250. Phalaecii. VVeizii notae in Sodomam Cypriani. Meliſſi Carmina,* multo labore

bore & ſtudio collecta. Inter quae fortaſſe non ultimum occupabunt locum *Epiſtolae eius ad Viros CLL.* quibus multa erudita nec ubiuis obuia inſunt, ut Amalthees cornu aut κεραμλιαρχεῖον non immerito dici posſint, quarum ſucceſſiua editione haeredes non parum gratiae ab erudito orbe inituri, Virique beatiſſimi famae maximo conſulturi eſſent opere. Non uero niſi quae aut memoriae ſponte ſuccurrerunt, aut ex relectis ad Beatum Virorum doctorum Epiſtolis, colligi potuerunt, L. B. hic expreſſa uides, tantum abeſt, ut annotata omnia Daumianae ſupellectilis editioni parata abſoluant.

plurima tamen nec ſcripſit, nec edidit, ſed ſecum abſtulit. (†)

Nihil unquam ſcribebat, quod non cogitaret prius,
nihil dicebat, quod non perpenderet.
Hinc in omnibus fere recte ſentiebat,
& ſi fortaſſe in quibusdam minus,

(†) Nominaſſe ſufficiat *Syntaxin*, cuius ſupra mentio iniecta, quam ab eruditis plus unis ardentiſſimis uotis & obſecrationibus efflagitatam, nunquam integram chartae inſcripſit, ſed uiua uoce traditam, ſecum abſtulit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [345] - 325

in paucissimis factum, (ω) Vt

(ω) Quibus uix annumerandum puto illud Reinesii: *bene quod mutasti.* Ep. xv. p. 50. Si enim quid coniicio & ex collatione Ep. xii. p. 33. ex qua Reinesio haec uerba nata, diuino, Daumio nostro, eo tempore cum illis tantum in MEN & MENTVM deriuatis erat res, quae a Supino descendunt, non cum omnibus, quae uel ab Infin. uel Supino deriuantur, quod exempla l. c. a Daumio adducta, probare uidentur, quae omnia Supinis originem suam debent. Quod uero Daumius nunquam docuerit, tantum a Supinis iam dicta descendere deriuata, ex Ep. xiv. p. 39. seqq. facile uidere est, ubi ex utroque descendentia distinctim affert, nec tamen mutatae sententiae mentionem iniicit. Nec huc trahenda controuersia de Mantuani natali & emortuali, in qua Daumio Reinesius cum maxima contentione contradicit, inprimis quoad illud chronodistichon, quod, a Reinesio Ep. xv. p. 51. & quidem, ut ipse Ep. xxv. p. 83. fatetur, ex Schradero, cui plus fidei habebat, quam Daumio sua ex ipso Mantuano probante, desumtum, eius sepulchrali lapidi inciſum dicitur. Daumium enim Ep. xx. p. 58. non tantum recte in dubi-

dubium uocasse chronodistichi fidem, curis secundis ex Itinerario Italiae Scottorum Reinesio Ep. LIIX. p. 153. probauit, sed eius genuinum patrem, quem l. c. ex ῥήσῃ Lutheranum aliquem coniiciebat, uideo esse *Bernardum Sturmium* alias *Valterum* dictum, cuius Eteostricha Görlicii 1580. edita Cent. V. num. 73. iam adductum ostendunt.

Vt ipsum hominem esse probaretur;
in nullo enim errare, non hominis, sed Dei est.
Quanquam peccata eius fuerint sine uitio,
errores sine errore, quia docti.(A)
Et quia errores sine pertinacia,
παραράματα sine seductione,
uix pro erroribus habendi.
Meliora enim docenti paratus erat cedere,
quia in errore perseuerare diabolicum.
Quanquam paucis cedebat, quia optima docebat.
Meliora discenti sua concedebat,
quia a se nouiter inuenta,
& quia amicorum omnia communia sciebat.
Vnde non minus facilitatem suam probabat,
meliora docenti cedendo,
quam constantiam,

(A) *Reines.* Var. Lect. l. 1. c. 15. p. 58. *Eruditi cum errant errant errores eruditos.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [347] - 327

ſuae ſententiae firmiſſimo fundamento innixae innitendo.

Hinc etiam

ſtilum acutum aut limam aliorum, quam eruditorum tantum non omnes experti ſunt,

Lipſius, Kornherdi, Thomſoni, (B) Scioppius, (Γ) Barthii, (Δ) Berneggeri, (E) Taub-

(B) Vterque integrum librum c. Lipſium ſcripſit. Ne quid de *Scaligero* dicam, qui ſub uoce *Lipſius* in *Electis Scaligerianis* ſcientiam eius Politicam non tantum in dubium uocat, ſed plane negat, qui tamen tantum non in omnibus limites cenſoris transgreſſus uidetur, inprimis, quod hac occaſione monere liceat, quando de ſcriptoribus θεοπνεύστοις ipſi ſermo. Quibus annumerandus Berneggerus in Diſſertat. de Idolo Hallenſi, & qui unus eſt inſtar omnium *Th. Sagittarius* in *Lipſio Proteo*.

(Γ) Qui ſuo tempore ſolus Latina ſcire dicebatur, quique nullius, praeter unius Barthii, licet ab ipſo Satyrico prouocatus, pepercit famae & eruditioni.

(Δ) In Satyrico: Caue Canem. De Vita, Moribus, rebus geſtis, diuinitate Caſparis Scioppii Apoſtatae, ſub nomine Tarraei Hebii, Nobilis à Sperga, Germani, edito.

(E) In

(E) In Obſeruat. Miſcell. c. 13. Ne iam referam *Confutationem Fabulae Burdonum*, cuius auctorem nonnulli ipſum *Ioſ. Iuſt. Scaligerum* faciunt, ſed *Ianum Rutgerſium* eſſe ex Geislero cum aliis *Vinc. Placcius de Script. Anon. n. 239. p. 65.* nobis detegit; nec de Ieſuitarum ſcriptis, quae *Alegambe* peculiari Catalogo inclusa, Bibliothecae ſuae Ieſuiticae ſubiecit, quaeque iam laudatus Scioppius Anti-Ieſuiticis ſuis, ſub nomine *Alphonſi de Vargas* editis, & a *Placcio* l. c. n. 248. p. 67. recenſitis, in ſe concitauit.

Taubmannus, Putſchii, (Z) Fabricii, (H) Barthius, Reineſii, (Θ) Vlitii, (I) alii, aliorum, ipſe haud ultima eorum portio, nunquam ſenſit. (K)

(Z) De quo ipſe Taubmannus in ſuis ad Iungermannum, quas a Daumio collectae & typis iam praeparatae Epiſtolae CLL. Virorum nobis exhibebunt, conqueritur.

(H) In *Pranſo* ſuo *Parato*, ubi ſub *Polyphili* nomine, p. m. 139. & 151. intemperanter Taubm. lacerat.

(Θ) In V. L. paſſim.

(I) In *Notis ad Gratium*, *Nemeſianum & Calpurnium*, ubi durisſimis in Barthium inuehi-

uehitur uerbis, cui *Matth.* von der Lage/ nonnulla oppoſuit. Ne de *Heinſiis*, *Scriueriis*, *Voſſiis*, *Gronouiis*, *Gebhardis*, quid dicam, quorum calamus haud uulgari modo contra B. inſurrexit.

(K) Huic noſtro effato obſtare uidetur *CL. Vrſinus*, qui in *Obſeru. ſuis Philolog.* c. VI. p. 77. Daumium accuſat, *quaſi nimium hac in parte ſibi permiſiſſet, quod pro lubitu non raro uerborum themata omni aeuo ueteri ignorata, auctoritate certe omni plane deſtituta, comminiſcatur*; ſed ſine pondere. Multa enim a Daumio ficta uidentur, quae iamdudum ab aliis uſurpata. Quod uel ex uerbo *dapere* patet, cuius patrem *CL. Vrſinus* l. c. Daumium putat, quod tamen multo antiquiore gaudet autoritate. Occurrit enim in *Gloſſario Lat. Gr.* ab *Henr. Stephano* iam ſuperiori ſeculo anno 73. ex MS. edito, ubi *dapet* per ἰσχέτω redditur. Quod propterea Vrſinum non poterat latere. Vbi Stephanus quaſi Daumio noſtro Apologiam ſcripturus in praef. ſua ad Gloſſ. *III. b. *inſignes*, ait, *antiquitatis reliquiae hic promuntur in uocibus partim ſimplicibus, partim compoſitis. Atque hae quo antiquiores ſunt, eo magis nouae* (& ſine hoc libro eſſet, plane fictae & excogitatae) *futurae ſunt: utpote quae per tot annos tenebris merſae, nunc primum emer-*

emergunt. Vt propterea nequaquam Daumius carpendus, etiamsi quaedam sine autoritate nobis hodie non obuia finxisse uideretur. Sicuti enim multa ante nos quaesita, quae a nobis non amplius desiderantur; ita aliis haud exigua relinquetur messis eorum, quae a nobis frustra expectantur. Nec enim L. L. diuitiae iuxta editorum librorum modulos metiendi. Quot sunt deperditi autores integri? quot adhuc latent, ex quibus nouiter excogitatorum antiquitas optime posset probari? Vt nec adeo simpliciter, dum autoribus destituimur, reiiciendi *Vocabulistae*, *Vocabularii*, *Breuiloqui*, *Catholici*, *Onomastica*, *Glossaria*, & alii hoc genus libri, qui sua ex autoribus suis temporibus ubiuis obuiis, nobis uero hodie uel denegatis uel plane deperditis desumsere, ad quos propterea ad sua defendenda non raro prouocare uidemus eruditos. Nec incongrue huc illud *Reinesii* trahi potest, quod Daumio nostro lectionem aliquam ob autoritatis defectum non statim recipienti Ep. XXXIII. p. 105. reposuit: *non dixisse autores absurdum fuerit putare, etsi autor non succurrat. NB. Nimis multa non erunt pro Latinis agnoscenda, si agnoscenda non sunt, nisi ea, quae apud Latinos autores in Editionibus hodie reperiuntur*. Et quod

Ep.

Ep. LV. p. 146. Eidem de τῦ *ubertare* auctoritate solicito reposuit: *nondum legisti? at leges aliquando.* Imo si per Glossarium liceret, demus CL. Vrsino, *dapere* a Daumio esse fictum, quid deinde? An ipsi prohibitum, quod Vrsino, ad sua stabilienda, licitum, quod aliis eruditis integrum? Sic enim κρίνω & G. *Borrichius* in Tr. suo *de Quantitate penultimae Denominatiuorum in inus & uerbalium in icis*, Analectis suis ad Cogg. de L. L. additis p. 36. in ipso Vrsino carpit, quod in suis Obseru. Phil. c. XI. p. 199. *mordo* fingat. Sic & alii Viri eruditi alias minus obuia posuere, quod a Daumio de R. A. p. 55. probatum. Quanquam uix hoc in subsidium nostrum uocandum, quia Daumius non nisi auctoritatibus & analogiae fundamento nixus sua protulit. Et quid multis? Etiamsi auctoritate huius uocabuli destitueremur, annon dicere liceret, *dapere* omnino fuisse, etiamsi non amplius extet, quia eius paragogicum *dapinare*, habetur, quod apud *Plautum* legitur Capt. Act. 4. Sec. 3. ubi *dapinabo uictum*, & apud Petrum Gruterum Epist. XIII. l. 1. p. 53. *Tibi inquam dico: aliis dapinato hoc modo, nam tuus uictus scruposam commeat uiam: sentes esitandas locas: ueniendum calceatis dentibus.* Sicuti enim *albicare* est ab *albere*, *flauicare* a *flauere*,

flauere, *frondicare* a *frondere*, *sorbilare* a *sorbere*, *rubrare*, *rubricare* a *rubere*, & hoc genus alia, ita *dapinare* a *dapere* esse possemus dicere. Vnde tantum abest, ut Daumius aliquid, praeter rationem & Analogiae fundamentum finxerit, ut potius omnia in libris inueniantur, etiamsi non statim nostris occurrant oculis aut manibus. Nec incongrue Daumii nostri uerba ex Ep. XIV. ad Reines. p. 43. huc trahere possumus: *Radices omnino restitui NB. ob fundamentum grammaticale* (& sic tantum ad γνῶσιν non ad χρῆσιν) *oportere, licet non in usum sermonis reproducendas: aliter uix operae pretium facturos nos esse in omni re Grammatica. Et hanc utique unicam causam ignorationem scilicet uerorum thematum hactenus omnia praecepta confudisse.* Vnde etiam alterum, quod supra laudatus *Vrsinus* l. c. in Daumio nostro carpit, non adeo firmo stare uidetur talo, quasi nominum deriuatio apud Latinos omnium non a uerbis sit petenda, quod & Reinesius improbarit, siquidem ad reliquarum linguarum, inprimis Hebraicae Analogiam illud a Daumio factum. In quam hypothesin uix adeo firmis insurrexit argumentis Reinesius, ut eorum fundamentum a Daumio non potuisset subrui, si controuersiae huius serram cum

cum Reinesio reciprocare maluisset, quam opponendo amicitiae nondum inueteratae etiam suis ingratiis uim inferre. Sicuti enim Reinesius, ut *Nesterus* in sua Praefat. ad Reinesii ad se & patrem epp. loquitur, *uir erat, qui obloquutionem nullo modo patiebatur*; ita contra Daumii mores erant sedati, animus facilis, qui citius de suo remittebat iure, quam aliorum irritando spiritus sua etiam firmissimo superstructa fundamento, defendebat. Quod non tantum Reinesio-Daumianae loquuntur Epistolae, sed Daumius noster expressis ad Riuinum 6. Dec. 51. ipse profitetur, dum de Reinesiano agens negotio *cessi*, inquit, *ego uolens, cum prius de uehementia stili conquestus essem, nec ad ultimas eius mense Maio datas, utut optime potuerim, & etiamnum possem, responsum aliud tuli, quam malle me potius ea scribere, quae ad mihi concilliandos quam ad irritandos Magnorum Virorum animos facerent: aut tacere in posterum.* Et quia h. l. mentio facta Epistolarum Reinesio-Daumianarum, notandum, quod & *Bosius* in sua ad Daumium dedicat. innuit, multa inibi legi a Daumio nec uisa, nec lecta, nec audita. Quod de illis fere omnibus capiendum particulis, quae sine responsione Daumii nostri praetermissae. Interea

terea tamen ad hanc Daumii ſententiam ſtabiliendam non parum faciet Ei. liber de R. A. integer, cuius iteratam editionem quadruplo auctiorem mecum omnes boni optant. Sed nec *Chr. Sandius* celebre illud inter ſuos nomen, utque *B. Scherzero* in praef. ad nou. Edit. ſui Anti-Socin. B. 2. b. audit, *nec gregarius nec indoctus aduerſarius*, praetermittendus eſt, quia Daumio noſtro, quamuis non citra ſpeciem, erroris notam inurere tentat, dum in ſuis *notis & animadu. in Gerh. Io. Voſſii libb. de hiſt. Lat. p. 168.* ubi de *Gualtero Philippo Caſtellionio* agit, *Daumium cum Voſſio labi*, & paucis interiectis, *Daumium grauius errare*, ſcribit, *qui autorem hunc ſeculo X uixiſſe ſtatuat & falſo Voſſio adſcribat grauiſſimum errorem, quaſi ipſe dixerit, Gualterum uixiſſe ſeculo IX. cum & hoc opere de hiſt. Lat. & illo altero de Poët. Lat. diſerte dicat, ſcripſiſſe circa ann. 1250. ſeculo XIII.* Nam iniuſte cum Daumio agi, facile patet, quando eius uerba quid penitius inſpiciantur. Vix autem negandum, uerba ſic in Daumiana iacere expreſſa epiſtola, prout a Sandio l. c. adducuntur; uitium uero uel deſcriptoris uel correctoris incuria aut potius nimia cura inductum latere, imo patere auguror, & quando cum his a Sandio adductis uerbis

bis Daumii Ep. LXVII. p. 178. contendo, manibus palpo. Nam quando haec duo loca inter se conferantur; posteriori facile medela afferri potest & *† seculo* eiiciendum esse apparet, ut uerba Daumii sic fluant: *Gualterus non IX. sed X. scripsit libb. Alexandreidos.* Nam l. c. non de aetate Gualteri sed eius librorum numero agi, adiectum Vossii testimonium probare potest, in quo, & ex libro de H. L. & P. Lat. desumto, uti etiam in *Reinesii* fortasse a Vossio decepti, *V. L. l. III. c. IV. p. 404.* expressis literis mentio fit 9. libb. Alex. Quod uero eius aetatem attinet, longe alia Daumius Reinesium docuerat altero iam adducto loco Ep. LXVII. p. 178. ubi expresse de Matth. Vindocinensi agens, *Gualterum*, ait, *scripsisse post ann. 1171. quo caedes facta Thomae Cantuar. cuius meminit l. 7. v. 331.* Quod etiam Reinesius a sua in V. L. sententia recedens, Epist. LXXXV. p. 217. repetit, Vossium erroris postulans, *quod circa ann. 1200.* floruisse scribat. Vt propterea absurdum esse illum oporteat, qui Daumium tam absurdum fuisse dicere uult, ut in sententia, tam firmo ab ipso superstructa fundamento, adeo fuerit uarius. Nec illud Sandii l. c. pag. 192. tolerandum est παρόραμα, ubi de Matth. Vindocinensi agit *inque Reinesio & Daumio miram*

miram fluctuationem circa aetatem & Gualteri & inprimis Matth. Vindocinenſis occurrere ſcribit, ad eamque probandam adducit Epiſt. LXXXV. Reineſii p. 217. Nam ex Reineſii uerbis adductis nunquam eliciet, quod tentat, quia non de Matth. Vindocinenſ. ut Sandius uult, ſed de Gualt. agunt. Quod itidem ex Voſſii teſtimonio a Reineſio adducto apparet, quod non de Matth. Vind. ſed Gualtero omnino, nec Sandio contradicente, in libro de H L. inuenitur, quanquam, quod nec Reineſius unquam affirmauit, in de P. L. minus occurrat. Si tamen ulla fluctuatio circa eius aetatem ex literis iam laudatis exſculpi poteſt, non Daumio ſed Reineſio impingenda uidetur. Quae omnia pluribus & poſſent & deberent deduci, ſed quia iam non Panegyricum aut Vindicias ſcribimus, dare voluimus, quantum charta capere noſtrique ingenioli, Daumianum nomen & poſt cineres obſeruantis, paruitas interrupto ſtudio afferre potuit.

Ignota olim multis nota reddidit omnibus,
omnibus olim certa, incerta; (A)
omnibus credita, dubia;
ut olim nulli improbata

(A) ad *Diatriben de A. 2. & F. 2. nullitate* reſpicitur.

ab ipso improbata, uix amplius approbentur.
Barbariei ipse erat hostis, ipsi Barbaries,
Soloecismos nec poterat tolerare, nec ab
ipsis tolerari.
In quibus omnibus studium erat pertinax,
ut nec in otio esset otiosus,
etiam cum maxime licuisset otiari,
quo, qui sibi otiari licere putant, uiderent,
quam parum otii restaret, ne otio
abutantur.
Hinc non nisi inter laborandum otiabatur,
ab aliis cessando cogitationibus,
inter otiandum laborabat, otia non
male collocando,
sicque
non minus erat otiosus, quam ubi erat
otiosus,
otiosus enim uel scribebat, uel legebat,
uel amicis tempus dabat.
Sicuti praesentes lingua, ita absentes calamo
docebat,
omnes singulari modo.
Aliorum usui inseruiendi occasiones,
beneficia,
beneficia, occasiones aliorum usui inseruiendi
dicebat.
Solicitatus opem nunquam denegabat,
imo nec solicitatus multorum respondebat
uotis.
Nec uisis nec auditis facilem dabat accessum,
ut saepius illum solicitarent.
Plura ipsis praestabat, ac petebant,
pauca

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [358] - 338

pauca petentibus multa exhibebat,
pauca desiderantibus omnem suam offerebat
eruditionem.
Eruditionem, quam sibi propriam fecerat,
communem reddebat docendo,
quam legendo & meditando sibi collegerat,
scribendo aliis impertiebat.
Nolebat solus esse doctus,
sed ut multi per ipsum ipsi essent aequales.
Et quia sciebat,
eruditione & scientia nihil esse nobilius,
in scientia humanitate nihil elegantius,
in humanitate eius exercitio nihil pulchrius,
comparabat sibi eruditionem,
ut posset esse humanus,
humanitati operam dabat,
ut perpetuum eius haberet exercitium.
In seculo nil nisi nouitatem spirante antiquis
erat moribus,
inter simulantes sincerus.
Mores eius nemo improbabat, nec improbus,
ingenium omnes approbabant, inprimis
probi.
Nec iis poterat annumerari,
qui uideri malunt, quod non sunt,
quam esse, quod uidentur,
dum malebat esse, quod uidebatur,
quam uideri, quod non esset,
imo non uideri, quod esset.
Nulli unquam insidias struebat,
nisi illud ipsum feciſſe uelimus dicere,
quibus pro ruditate eruditionem,

pro inſcitia ſcientiam,
pro uitiis uirtutes tradere ſtudebat.
Omnia in illo ſingularia,
ut etiam humanam naturam ſupergreſſus uideretur,
dum ſine lucri ſpe laborabat,
ſine gaudio ſua audiebat elogia,
ſine dolore ſuorum perferebat mortes (M)
mortisque prodromos,
ſine ira quorundam ſuſtinebat offenſas.
Et ut innumera tribus,
omnia paucis comprehendam,
per omnem uitam, ſuperioribus, paribus, inferioribus
reuerentiam, amicitiam, beneuolentiam exhibebat,
Vnde honor & gloria,
quam quidem ſpernebat, ſed ſpernendo acquirebat,
fugiendo accipiebat,
cupidus non famae propriae, ſed eruditionis aliorum,
quanquam nec ſine fama nec ſine eruditione.
Nam

(M) Inprimis huc referenda beata ἀναλυσις utriusque Coniugis, *Marthae*, natae *Fickenvirthiae*, quam ann. 1642. 3. Oct. duxit & 6. Mar. ann. 1673. amiſit; & *Annae Margarethae*, natae *Auerbachiae*, quam ann. 1674. 25. Iun. ſibi iungi fecit, cui, gemina ſobole, ſibi adhuc ſuperſtite, nata, *Io. Chriſtiano*, ann. 1674. 30. Oct. & *Anna Roſina* ann. 1676. 22. Iun. 1686. d. 10. Iulii ſuperſtes factus eſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [360] - 340

Nam ſicuti iam olim
inter priuatos parietes latens inclareſcebat,
ita, licet ulterius latere maluiſſet,
in humilitate acquirebat exaltationem non quaeſitam,
famam ſusque deque habendo merebatur,
quam multi merendo non merentur.
Magnus factus diſcendo,
maior docendo, maximus ſcribendo.
Charus omnibus, diſplicebat nemini,
ſicuti in ſchola Patronis beneficentisſimis,
Steinmetzio, Boacho, Richtero, aliis,
in Academia, Barthio, Götzio,
ita in officio, doctis omnibus.
Sicuti in ſchola Patronos ipſi conciliarat ingenium, poëſis, mores,
in Academia Barthium ſtudiorum paritas,
ita in officio omnes eruditio & inſeruiendi promtitudo.
Nomen ex ſcriptis, ſcripta ex nomine colligere licet,
& quod propria agnoſcere nolunt,
loquuntur aliena. (N)

(N) Vt nihil dicam de teſtimoniis ex eius libris a Boſio, Buchnero, Cellario, Franco, Halleruordo, Hekelio, Hilario, Olearíis, Placcio, Riuino, Rumetſchio, Zimmermanno, quantum quidem in mea libraria ſat tenui colligere licuit, deſumtis, plauſtra elogiorum largo utere in Daumium noſtrum effuſorum conuehi poſſent, ſi temporis & chartae angu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [361] - 341

anguſtia permitteret. Interea meſſe pluribus inſtructo libris relicta, ſpicilegium inſtituere liceat. Familiam uero ducat *D. Cinellus* additionibus ad librum inſcriptum *Bellezza di Firenze*, ſub fin. pag. ult. *Al. Sig. Daumio, Helluo librorum, e che nella cognizione de gli ſcrittori, e nel' erudizione de' tempi barbari non ha uguale, non che ſuperiore.* *D. Olear.* praef. ad Herod. Orat. C. b. *Daumius, qui uere* βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ ἀξιπαίγνιον μεσσῆον. *Io. Chr. Rumetſch.* in Aquila Leopoldina p. 104. *Philologorum noſtri ſeculi decus Dn. C. D. Boſii & Franci* non opus eſt repetere. *Barth.* To. III. ad Stat. ſ. Theb. ℣. 91. p. 59. *C. D. Cygn. ob ſingularem uirtutem doctrinamque mihi commendatiſſimus.* Id. To. III. Aduerſ. lib. CLV. c. XIII. *C. D. uir excellentis ingenii & eximiae doctrinae.* Id lib. CLXXIX. c. 6. *amicus noſter, ingenii praeclari & eruditionis rariſſimae iuuenis C. D. Harsdörffer.* ann. 1646. ad amicum: *Clariſſimi, multiiugae eruditionis & multae lectionis Viri elaboratiſſimus uertumnus euincit, ipſum non eſſe Vertumnum, h. e. eiusmodi hominem, qui libros intuetur, ceu canis Nilum lambit. Iouem lapidem iuramus, diuinum ipſius eſſe ingenium, iudicium dexterrimum, laborem infinitum, & quaecunque alia ſpectant ad eruditionis ſolſtitium, ad*

cuius

cuius culmen ipsi facilis patet ascensus.
Io. Ge. Styrzelius in suis elogiis:

Et propriis clarus meritis, merita & Magnorum
DAVMIVS Heroum clarus amicitia,
Deliteat scholico quantumvis puluere, fama
Attamen illustrat coeli utriusque domos.

Id. ib. *Sciuit, opes Linguae Latiae quae, nec prior aetas*
Credo, satis; sed nec scit, puto, nostra satis,
Eruit Herculeo sed DAVMIVS, ecce! labore,
Sic reparans ueteris res Latiique noui.

Barth. 8. Mai. ad Daum. 46. *Interim nauiter (sed cum bona tuae ualetudinis curatione) rem gere, memor quo te ingenio donauerit Dei singularis benignitas, nec enim male mihi iudicare uideor eximens te plerisque omnibus huius aeui.* Id. 3. Mart. 50. *Igneum immo coeleste & aethereum tuum ingenium sodes ne nimiis occupationibus onerare uelis, scis enim subtilia illa spirituum talium dona & magisteria facile elidi, tu uero alia omnia posteris nostris debes.* Idem 24. Iun. 53. *De scriptione hodiernorum stili Latini principum, teneo mordicus,*

quod nuper defendebam, Cl. Daumi; pauci sunt, immo uix unus & alter, qui ferant ueri auctoris personam: aut fastidiis enim & Lectionis affectationibus omnia foedant, aut languorem suum paucis omnino lineis non fatentur. Tua uero Eruditio, Tuum ingenium, Tuum iudicium mihi talia DEI Opt. Max. dona semper uisa sunt, ut omnes κακοζηλίας ubique notas effugiant, immo superent & contemnant. Id quod mecum fatebitur, qui perspectas habebit & properantis, & allaborantis gratias; neutrubi enim offendet quicquam superfluum, extra corpus orationis exstans, aut morbidum quocunque affectu, qui recte rem diiudicare quiuerit & uoluerit. Idque in utraque oratione: ingenua, nitida, uiuida, contra omnia, & naturale decus nullibi non spirantia. Mactete doctore iuuentus; &c. D. Bulaeus ad Daum. 18. Mai. 48. *Magnae mihi uoluptati fuere elegantissima ingenii tui pignora, quibus me beasti. Censuram autem quod exoptas, nae frustra es! Aut enim Te ipse ignoras, aut meam nescis tenuitatem. Ex animi loquor sententia: Phoenix es in meliori litteratura. Barthium interroga aut Buchnerum; non diffitebuntur. Et credo Te aliquid putare candidos illorum lapillos. Gerhardus* ad Zechendorff. 6. Iul. 46.

Ad-

Admiratus profecto ſum Viri huius ſummam in Philologia Latina felicitatem & ingenii dexteritatem, maxime in poëſi felicitatem. Id. ad eund. 24. Iun. 48. *Quem uirum in litteratura humaniori excellentem ualde aeſtimo.* D. Io. Olear. 24. Apr. 73. *inexhauſtus profundioris literaturae fons.* D. Rolfinck/ad Boſium 14. Feb. 58. *Daumius ignotus ſibi, notus magis omnibus, purae Latinitatis myſta & arcanorum criticorum cuſtos religioſiſſimus.* Etzardi ad Mart. Fogelium Hamb. 1662. *CL. Daumii haut ſuperſedeas intranſitu accedere Muſas, & meo nomine ei ſalutem impertias. Omnino Cygneae ornamento eſt ſplendidiſſimo. Nec parum delectationis ex eius diffuſa & uaria capies eruditione, ſplendidiſſimisq; oculis exquiſitiſſima eius Bibliotheca ſatisfaciet.* Nec immerito Daumiana Bibliotheca etiam exteris innotuit, cum nullus, quem literae fatis & ſibi ipſi ſuperſtitem reddidere, nec noſtro nec ſuperiore uixerit ſeculo uir, ex cuius Bibliotheca ad ſuam Beatus non multum fecerit accesſionis, ut, ſolutis paginis conſtantibus libris & membranis nondum certo numero incluſis, decem millium compactorum dominus factus fuerit, in quibus Lutheri, Melanchthonis, Eraſmi, Manutiorum, Stephanorum, Scaligerorum, Lipſii, Caſaubonorum, Friſchlini, Voſſiorum, Barthii, Rutgerſii, Reineſii,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [365] - 345

Scriueri, & cuius non? αὐτόγραφα offenduntur. *Buchnerus* in ſuis ad Daum. inſcriptionibus, quas ab impreſſis abeſſe uideo. Ep. 7. *C. D. Poëtae & Philologo non e multis.* Ep. 11. *Rarioris notae Philologo* Ep. 17. *Cadentium literarum eximio ſtrenuoque uindici.* Ep. 18. *Edecumatae eruditionis Philologo. Königius* 9. Dec. 72. *Ego Daumium (abſit adulatio,) pro eo habeo, qui in Gr. & L. L. omnibus hodie palmam praeripit.* Iudicioſiſſimus *Schurtzfleiſchius* progr. in obitum Andr. Diezii ann. 1677. *C. D. uir perſe egregius & ſatis laudatus. I. G. Olear.* 12. Ian. 74. *celebratiſſimus literatorum ſtator. Gebhardus* 5. Cal. Ianuar. 64. *inprimis ille* (Muhlpfortius) *ſaepicule mihi recommendauit reconditam tuam in euolutione auctorum, qui ſequioribus uixere ſeculis, ſcientiam.* Id. ann. 1665. ἀποφθεγμάτιον *inprimis de c. a. l. l. r. quod in tranſcurſu demum uiſum, lectionem tuam multiiugam, ingenium acre, iudicium excellens arguit. Quid itaque, mi CL. Daumi, iam non praeſtes, cum ante luſtra pene quinque tantam eruditionis ſupellectilem iuuenis adhuc tibi paraueris. Macte itaque, macte porro, uti facis, auctores nobis illuſtrare.* He. *Hilarius* 18. Dec. 77. *nouus noſtri ſeculi Varro ac Tullius, Vir de ſtudiis literarum, inprimis philologicis praeclare meri-*

meritus & indies praeclarius merens. *Laur. Boy* 28. Iun. 65. *octauum mundi miraculum.* Omitto innumera alia *Axenii*, *Barthii*, *Bohemi*, *Bosii*, *Buchneri*, *Cundisii*, *Graeuii*, *Gronouii*, *Gueinzii*, *Heinsii*, *Hornschuchii*, *Kirchmaieri*, *Königii*, *Magliabechii*, *Mitternachtii*, *Olearíorum*, *Thomasii*, *Zigneri.* In specie de eius in pangendis uersibus felicitate, quam non tantum ipsa carmina praedicant, sed doctorum literae loquuntur, plura conferri possent; sed ex quingentis triumuiros adduxisse sufficiat, quos inter primas teneat nullius blandiendo quicquam deferens auribus, acutissimus in studio poëtico censor, Barthius, qui Festo S. Bapt. 47. *Si tu uero extra Parnassum somnians tales Choliambos extundere potes, necesse erit mihi aestimare, prope Cygneam nouas sibi sedes parasse Musarum totum chorum.* G. M. Königius 28. Aug. 70. *ualde placent, malo unam & alteram pagellam tuorum uersuum legere, quam aliorum myriades.* Id. 4. Sept. 77. *Strenas tuas admirabundus perlegi, laboriosas iuxta ac elegantes. Magna est tua felicitas & facilitas in eiusmodi uersibus contendis, adeo, ut palmam tibi omnes facile concedere possint.* I. G. Olearius 31. Aug. 76. *Etiam libero fidem meam, restituens libellum Tuum, deliciis uere Tuis*

Tuis h. e. edecumatis undiquaque refertum. Librum profecto intus & extus ſcriptum, qui, quoties adſpexi & reuolui, in mentem reuocauit illud poëta: ſcriptus & in tergo nec tum finitus Oreſtes. Obſtupui, fateor, ad millenarios ſine exemplo factos. Mirum, tanta praeſtare ualuiſſe ingenium humanum. Nec mirari haec reuera mira & laudare gratus, quoad uixero, deſinam. Vbi una in iudicii Eius exactisſimi laudes plenis uelis excurrere liceret, niſi ad Variarum Lectionum & Obſeruationum propediem ſolis diſco exponendarum editionem L. B. ὄψεξιν remittendam putaremus. Interea tamen ſatis de eo ſit teſtimonii, quod *Gronouius*, qui Beato in Ep. ad Riuin. 15. Mart. 68. ſcriptâ, *acutisſimus & felicisſimi ingenii Recenſitor, contra quem non mutiat*, audit, *ipſum* (loquor uerbis Gronouii, pr. Cl. Octobr. 57. ad Daum. ſcriptis,) *iudicem ſuae coniecturae, quae ipſi ad locum M. Senecae nata, faciat*, deque Daumianis Coniecturis optima quaeque praedicet: *Coniecturas tuas*, inquiens 3. Non. Maii, 57. *uidi lubens, utpote quae & oſtenderent, quam ſubactus ſis in ueterum ſenſibus deprehendendis & me doctiorem redderent.*

Quanquam nec mala defuere optimo. Nimia enim diligentia oculis caliginem, ſicuti

ſicuti animo lucem,
oculis dolorem, ſicuti animo gaudium
attraxit,
uita ſedentaria calculum & malum
hypochondriacum.
Nunquam tamen mala ſenſit,
ſed in malis optimus ut Marpeſia rupes
perſtitit.
Quis ergo negare uellet,
eum nobis dediſſe uitam, qualem dies uitae
prima promiſit.
Si uero tantus in uita,
quantus in morte? quantus per mortem?
nec enim per mortem omnis deſiit,
ſed maxima ſui parte ſibi ipſi eſt ſuperſtes,
nec uitae iactura uitam amiſit, ſed inuenit,
imo uitam perdendo immortalitatem
acquiſiuit.
Laudis uigor, qui cum ipſo uiuere incepit,
in morte non eſt mortua,
quia, a literis morti ereptus eſt mortuus,
quibus uiuus uitam uindicarat.
Et ſicuti uiuendo mortalis,
ita moriendo uitalis, imo immortalis factus
eſt.
Quod uel mortis dies docet, (Ξ)
qui paucos abſtulit eruditione celebres, (o)
ut

(Ξ) 15. Dec. 1687. hora 8. ueſpertina, uita protracta ad 75. annos, 8 menſes, 2. hebdomadas, 2. dies, 10. horas.

(o) Eod.

(o) Eod. die, aetatis anno 87 obiit ann. 1280. *Albertus Magnus* Balſtadius, ex ordine equeſtri, clariſſimis quidem natus maioribus, ſed parente carpentario Lauingae, Epiſcopus Ratisp., quo onere abdicato, ſibi & literis uixit. *Dominicus Petri de Nardis*, Theologus Dom. Florentiae in patria 1385. *Ioach. Hopperus*, Friſius, IC. Dominus in Dalem, Eques auratus, Conſiliarius intimus Philippo regi Hiſp. Madriti 1576. *Fridericus III.* Dux Lignicenſis, princeps eloquens & uaria linguarum cognitione praeſtans, Lignicii 1570. *Ludou. Nauclerus* I. V. D. Praepoſitus Stutgard. 1512. *Mutius Oddus* Mathemat. 1639. *Laur. Paulinus*, Archi-Ep. Vpſalienſis 1646. *Franc. Vigerius*, Gallus, S. I. 1647. *Theodorus Reinking.* 1664. *D. Io. Brunnemannus* 1672. Quibus neſcio an annumerem monſtrum illud humanum *Ducem de Alba*, qui eodem die obiiſſe dicitur.

In morte tamen offendit omnes,
qui per totam uitam nullum,
& cum uiuus nemini, mortuus omnibus
bonis dolorem excitauit,
ut ſatius fuiſſet, nunquam fuiſſe mortuum,
quam fuiſſe mortalem.
Moriendo enim ſui deſiderium relinquit
omnibus,
qui

qui uiuendo olim ſui deſiderium excitarat omnibus.
Mortuus deſiderium omnibus,
qui uiuus delicium.
Quod olim carum, iam excruciat,
quod deſideratum, enecat.
Inprimis Cygnea dolorem ſentit, quae olim gaudium.
Quanquam felicisſima in communi malo,
quod ſanctisſimas exuuias ſeruare licet,
toti debitas mundo.
Et ſicuti cunas Beato dederat & uitam,
quae cunas & uitam, eadem honores & officia,
quae officia, eadem & morten,
ita quae cunas & uitam, honores & officia & mortem
eadem & ſepulchrum,
quanquam ſepulchrum lautius quam cunas,
quod tamen differre uoluiſſet ad futurum ſeculum.
Lugete ergo omnes boni, quem Muſae lugent
qui nunquam fuit malus,
quia in uno hoc Muſageta,
natiuitate claro, uita clariore, morte clariſſimo,
diligentia magno, eruditione maiore,
ſcriptis maximo,
Muſae Statilinum, Cygnea Phoſphorum,
amici Fidium,
omnes aliquid, plurimi omnia
amiſere.

XVIII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [371] - 351

SCRIPTA.

Iis quae cum Henning. VVittius in Diario Biographico, tum Maxime-reuerendus Feuſtelius ſupra pag. 321. & 322. recenſuit, addenda ſunt quae cura Summe Reuerendi Gleichii prodierunt, nimirum.

Epiſtolae eius latinae ad Io. Frider. Heckelium ſcriptae, editae uero a Io. Andrea Gleichio. Dreſdae 1697. in 8.

Chriſtiani Daumii, Philologi & Polyhiſtoris celeberrimi, Epiſtolae Philologico-Criticae, ad CLL. Viros Io. Andream Boſium, Ioannem Gebhardum & Martinum Hanckium ſcriptae & tribus Partibus abſolutae. Quibus accedit Pars. IV. ſeu appendix ad diuerſos, nimirum Chriſtophorum Pomarium, Erneſtum Strockmannum, Io. Fidlerum, Valerium Merbizium, Georgium Seidelium aliosque exaratae, in lucem publicam emiſſae a Io. Andrea Gleichio. Chemnicii, anno 1709. in 8.

VIII.

XVIII.

PROGRAMMA,

Quo

RECTOR ET SENATVS ACADEMIAE KILONIENSIS.

FVNVS

GEORGII ERNESTI HELDBERGII.

S. Theologiae Doct. nec non Logices ac Moralium in alma Christian-Albertina Professoris Publici pridie Kalend. Ianuarii A. R. G. ∞ Io cLXXXVIII. pie denati, ciuibus Academicis indixerunt.

QVartum iam intra annum ex Academico ordine funus ducimus, Ciues optimi. Nam pene ipso die, quo primarius in hac Academia Anteceſſor ſignum ſuſtulit, ſublatus e Philoſophorum nobis ordine eſt Admodum Reuerendus Ampliſſimusque Vir DN. GEORGIVS ERNESTVS HELDBERG, SS. Theol. D. & Logices ac Moralis Philoſophiae Profeſſor celeberrimus, Collega noſter honoratiſſimus: cum medio tempore VVASMVTHII, Pater & filius, exceſſerint. Primae Iuris conſulto partes datae ſunt, ut uel ſic

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [373] - 353

Anteceſſoris nomen tueretur: nam pridie exeuntis (anni) octogeſimi ſeptimi mortalitatem expleuit. Aeſtas deinde ac autumnus, illa filium, hic Patrem, illum e Philoſophorum Subſelliis, hunc e Theologorum ordine nobis abſtulit. Illos felices compoſuimus; reſtat nunc, qui in mediae aetatis curſu, cum ipſo anno, tribus ante, noui anni exorſum horis, exſpirauit, nouum non annum, ſed ſeculorum myriadas in coelis auſpicaturus, cui hodie extremum pietatis officium perſoluimus. Immaturo quidem ille & acerbo funere, cum Academiae, tum Vxori dilectiſſimae, & Fratribus ampliſſimis, reliquisque cognatis & affinibus ſublatus eſt; ac longiore ſane uita dignus ipſe uidebatur, ſi annorum tantum numero uita haec aeſtimetur. Verum ut ille dudum tum philoſophiae moralis, tum coeleſtis doctrinae praeceptis domi didicerat, non humana & peritura felicitate, ſed uirtute ac pietate uiuendi nobis rationem conſtare, ita & nos uel nunc illo monitore ſapere diſcamus, ne uel illum non ſuo nobis tempore ereptum queramur, uel ipſi in praeſentis uitae bonis ita acquieſcamus, ut, ſi ab illis auocemur, fata de iniuria nobis facta accuſemus. Ea mentis noſtrae coecitas eſt, ut ſaepe intelligendo nil intelligamus, & uoluntate noſtra nobis ipſe deeſſe uideamur, cum ea miſere concupiſcimus, quae cum detrimento noſtro & gra-

grauissimo periculo coniuncta esse nouit, qui suo res nostras arbitrio, moderatur Deus, & in filiorum salutem uigiles semper oculos intendit. Scilicet ut multis sera mors magnae infelicitati fuit, ita in felicitatis parte non minima saepe est, si quis mature satis isti rerum & negotiorum turbae, quae aliquando nos in uitae propagatione oppressura sit, eximatur. Quid enim habet haec, etsi uel secula excedat, uita, quam ut patentior nobis fortunae campus aperiatur, in quo illa ad nos uel aperta ui opprimendos, uel per insidias euertendos omnes suas machinas intendat. Quis sibi illum temporum cursum adeo certum promiserit, ut non in aliquo offendat, cum semper obiiciat nobis aliquid fortuna, quod nos quasi in specula solicitos teneat, ad euitanda quae nos circumstant incommoda aut impendent. Cum principem apud Christum locum ambirent duo fratres, nescire illos, quid peterent, respondit: quod & nobis dictum existimemus, qui illo Doctore dudum nouimus, non in illis, qui uulgo bona haberi solent, diuitiis, robore, potentia, longiore uita, felicitatem ueram consistere, ut illorum causa magnopere torqueri, aut ea anxiis supplicibusque uotis precari debeamus. Si incolumi regno uiuis quinquaginta filiis cecidisset Priamus, beatissima ille morte e uita discessisset, quae ipsi in extrema senectute miserrima contigit. Si

Neapoli, cum grauiter aegrotaret, diem obiisset Pompeius, in amplissimis fortunis occubuisset, qui postea miser omnique potentia exutus, hostili manu interemptus est. Quod si ex uoto uel nostro, uel eorum, quibus ille carus maxime fuit, uel denique ex meritis & uirtutibus, quibus ille & se & Academiam ornabat, uita τῦ Μακαρίτε nostri definienda; quis non illi spatia quam longissima designauerit, ut pleniore ille cursu ad gloriam contenderet, nobis uberiores uirtutis eius haurire fructus licuisset. Sed nunc ille in medio uitae suae tempore plus uitae impleuit, quam alii multo longiore annorum uia assecuti sunt. Nos eius historiam, ut mori apud nos recepto satisfiat, ob oculos nobis ponemus. Natus est Anno clo Ioc XLI. d. V. Septembr. Cellae in Ducatu Lunaeburgico, Patre Nobilissimo Amplissimoque Viro, HEINRICO HELDBERGIO, Sereniss. Principis Lunaeburgici olim Feudorum Secretario & Archiuario: Matre, omnium uirtutum genere ornatissima, ERMEGARDE, HENRICI LEINEMANNI, Ciuis Cellensis Primarii filia. Auus illi paternus fuit CHRISTOPHORVS HELDBERGIVS, Ciuis & Mercator Vlzensis primarius. Auia ANNA Mausals / Proauia ANNA Hinneberges. Auia illi materna fuit MARGARETA Hildebrands: Proauus maternus DIETERICVS Mausal / Ciuis Primarius Vlzensis: Proauia,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [376] - 356

auia, BARBARA Meiners. His natus honestissimis & parentibus & maioribus bonae indolis semina secum ex utero tulit, unde praeclari aliquando fructus prodirent. Eo ipso die, quo sacris Christianis initiatus est, mater eius diem suum obiit, & e uita excessit, cuius ille beneficio primum spiritum hauserat. Iam tum in tenera aetate bonae & erectae mentis indicia dedit, quae ut magis magisque tum uirtutum tum artium praeceptis excoleretur, ad Scholam Misniae Electoralem a Parente ablegatus est, ubi per triennium, eoque amplius indefessum se in studiorum lineamentis ducendis & assiduum praebuit. Hinc ad Ducalem Lunaeburgensium Scholam abiit quae tunc temporis in Coenobio VValckenridensi instituta Magistris peritissimis florebat. Hic ubi optima studiorum fundamenta iecerat, amplissimis a Praeceptoribus suis elogiis dimissus, exacto pene biennio Anno LVI. magnam illam bonarum artium & morum matrem Academiam Iuliam, dignissimus illa Ciuis salutauit, postquam Scholasticis ante palaestris bene se firmauerat. Vsus est illic Viri Celebratissimi, Gerhardi Titii, SS. Theol. D. & Professoris contubernio. Hic ille se totum diuinae humanoque Sapientiae studiis consecrauit, longe a prauo illorum more remotus, qui bonae mentis officinam in plusquam militaris licentiae sedem conuertunt,

Sponsi Penelopes, fruges consumere nati.

Facile enim Virorum illic celeberrimorum fauorem optimis sibi moribus parauit, quorum felicissimum est cum bonis artibus & literis contubernium. Male habitat doctrina, quae in malam mentem incidit, & magnum aliquando Reipublicae magnum Ecclesiae malum minatur, si auctoritas postea malitiam, armauerit. At noster ad bonam mentem bona sanaque doctrina accessit. Nam diuino illi beneficio obtigit, ut illos haberet in illustri Academia Magistros, qui non e lacunis, sed e riuis plenisque fontibus omnia propinarent, illoque recentem testam odore imbuerent, quem in grauioribus posteà studiis seruaret. Illos qui sincerum cupiunt uas incrustare, ineptos nouitatis affectatores quam maxime auersabatur, postquam tres & amplius annos hic exegerat. Specimine publico diligentiam suam probauit. Disputationem enim de Quaestione illa: An pneumatica peculiaris & a reliquis disciplinis, praesertim a Metaphysica distincta scientia uel disciplina, a se elaboratam, sub Praesidio M. ANDREAE FROLINGII, tum Logices Professoris ordinarii, postea SS. Theol. D. & Professoris ac Superintendentis, publice habuit, & e Patria Academia discedens domi per biennium substitit. Hinc Anno LXVII. cum fratre ANTONIO GEORGIO,

GIO, nunc Parentis sui in munere illo aulico Successore dignissimo, in Academiam Ienensem se contulit, ubi Anno LXVIII. honores Philosophicos, Brabeuta Philosopho celeberrimo DN. D. BECHMANNO, impetrauit, qui ipsi non sine singulari honoris praerogatiua dati sunt. Nam inter XXIII. iuuenes secundum locum tenuit, cum primum Vir in munere Scholastico quondam constitutus occuparet. Nil attinet recensere praeclara illa quibus eum celeberrimi Dn. Professores ornarunt, elogia. Nam singularem in illo eruditionem, modestiae, pietati bonisque moribus iunctam, omnes certatim collaudarunt. Percrebuerat tunc fama Academiae nouae Holsaticae, quae & ipsum Kilonium euocauit. Quod iter fatis quasi uiam monstrantibus ingressus est; quae sedes illi quietas hic ostendere uidebantur. Primam ergo hic famae fortunaeque aleam iecit, cum elegans argumentum publice disputandum ut Praeses proponeret, de primo complexo totius cognitionis humanae Principio. Id ille triplici uelitatione, docta sane & ingeniosa, persecutus est, ac postea multis accessionibus, locupletauit, integrum de primo cognoscendi principio theoretico & practico librum aliquando editurus; cui tamen ultima nondum manus admota est. Collegia quoque ipse, amplissimi Collegii Philosophici, indultu, instituit. His ille Praeludiis

diis cum se maiori Palaestrae aptum ostenderet, Anno LXXII. Philosophiae Moralis Professionem, a Sereniſſimo Principe nostro sibi demandatam auspicatus est, cui postea Anno LXXV. Logices Professio accessit. Patentissimus illi & eruditionis & famae campus datus est: geminis enim disciplinis omne propemodum intellectus humani negotium, quatenus & θεωρία & πρᾶξις consistit, complecti uidebatur. Cum in Logicis τρόπον τῆς ἐπιστήμης doceret, ceterarum quasi architectus uideri poterat, quibus illa disciplina stylobatas, trochleas, uectes supponit. Morum doctrina non Theologiae solum & Iurisprudentiae uiam sternit, sed & per omne uitae genus immensa Vtilitate longe lateque diffunditur. Ad utramque ille disciplinam non uolaticam, tumultuariam, aut e Nouatorum compendiis raptim corrasam eruditionem attulit, sed ingenii perspicacitatem, promptam iudicandi solertiam, uetustorum Philosophorum doctrinis innutritam ac optimis magistris perpolitam. Nulla maior ingeniorum pestis est, quam, quae hodie dominatur, extemporalis docendi discendique ratio: qua hesterni discipuli in craſtinos doctores mira μεταμορφώσει abeunt, coeci canum festinantium catuli. Nemo nunc uerae sapientiae succo alitur, ut in uirile eius robur adolescat: multis satis est illo uel tingi uel aspergi: aliqui uel afflatu absolui uelint. Noster

ut

ut in omni uita uerum magis, quam ueri ſpeciem ſectatus eſt, ita modeſtis & plenis hac uia quam grallatoriis incedere ueſtigiis maluit, ab omni theatrico apparatu alienissimus. Paucos ille diſcipulos ſolida doctrina ſubactos, leui & circulatoria quadam percurſatione circumactis ſemper praetulit. Quare in docendo fidem, induſtriam, ἀκρίβειαν omnem adhibuit, & ita quidem ſemper in opere ſuo uerſatus eſt, ut fundum ueri penetraret, omnia exhauriret, omnesque boni Doctoris partes cumulatisſime impleret. Moliebatur ille omnibus numeris abſolutum opus Logicum, toto illo tempore exaſciatum, cuius editionem iam tum animo uerſabat. Verum immatura illi mors conſilia abrupit, ultimamque operi limam inuidit. Erunt fortaſſis, qui in iſto Librorum Logicorum numero carere orbem literatum huius accesſione potuiſſe exiſtimabunt. Sed rectius iudicabunt, qui miram quorundam, uel ieiunitatem, uel ineptam φιλοκαινίαν non ignoranr. Sunt qui infinita propemodum quisquiliarum mole doctrinam illam onerarunt. Qua deterriti nonnulli, cum ingenio non deſtituerentur, & aliquem ex eo faſtum ſumerent, praeterea antiqua omnia tanta cura elaborata, tot Seculorum Suffragiis firmata, ſtulta quadam nouitatis prurigine faſtidirent; omnes propemodum philoſophandi rationes conturbarunt, & quae anxie in incomparabili

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [381] - 361

ſuo Organo, magna ingenii ſolertia, illorum ſtudiorum Pater & Princeps Ariſtoteles digeſſerat, illi quaſi in antiquum chaos reuocarunt. Inter hos Noſter quaſi medius, uetuſta cum nouis conferens, & accurata omnia lance expendens, praecipue illis e Schola Carteſiana magiſtris nouitatis ſaepe laruam detraxerat. Qui cum nec ueteres, neque noſtrae aetatis ea in re Doctores legerent, multa ſibi nota inueniſſe uiſi ſunt; quae uel dudum aliis & uberius & doctius excuſſa, uel ipſa ſtatim fronte inſcitiam produnt. In iis tamen aliquo illi numero Auctor artis cogitandi habebatur, ut qui in paucioribus a regia uia deflecteret, ſaepe quoque diſſentiendi rationibus non leuibus duceretur, & quibusdam non ſpernendis inuentis artem locupletauerit, in plurimis tamen aliter ſenſurus, ſi noſtrorum ille hominum ſcripta lectione ſua dignatus fuiſſet. Derodoni ut inſigni nugatori bonam mentem precabatur. In Gaſſendi quoque Exercitationibus Antiperipateticis ineptias tanto Viro indignas deprehenderat, cuius iuuenilis Scripti ſenem poſtea, ut accepimus, poenituit. Sed iſtius quidem integri operis ſpe excidimus: quo ille abſoluto, eandem in Philoſophiae moralis perfecto ſyſtemate adornando ordiri telam ſibi propoſuerat. Nondum enim iis fundata principiis, iis circumſcripta limitibus uaſtiſſima doctrina eſt, ut una perpetuaque

ſe

se δοκήσεις oculis eruditorum sistat. Ne quid dicamus de profanis & flagitiosis dogmatibus, quae in illam a malis hominibus inuecta sunt, ut uel eam ob causam Hercules aliquis, monstrorum domitor, & sordium repurgator illi exoptandus sit. Id certe operam dedit Noster, ut recta & plana uia iuuentutem non per praecipitia duceret. Accedebat ad sana philosophemata uita Philosopho digna. Frustra enim praeceptis & sententiis diserti sumus & canori, si non ipsa uita & facta uerbis responderint. Quos enim mores docebunt ipsi uappae & nebulones? quae honestatis lineamenta duxerint, qui ipsi ne pilum quidem uiri boni habent? Etenim si minus idoneos Philosophiae moralis auditores pronunciabat Aristoteles iuuenes, qui uitae modum non tenent, cupiditatibus in transuersum rapiuntur: quid Doctoribus facias, in disciplinae, quam profitentur, opprobrium natis & qui ultra pueros & iuuenes in uita deliranT? Noster non Philosophum se tantum, sed & uirum bonum, cui omnis illa Philosophia seruiit, semper ostendit. Quod rectissimum erat, honestum, laudabile, decorum, ille omni in uita quaerebat, quibus poterat beneficiis, officiis, eius ope qui indigebant, sibi deuinciebat. Vbi fides eius requirebatur, nunquam illa claudicare uisa est: neque personatus ille in uirtutis uia, in qua multi histrioniam nunc exercent, ambu-

ambulauit. Quoties magiſtratum Academicum gesſit, ita iuuentuti praefuit, ut nec nimio rigore ſeuerius quicquam ſtatueret, neque per turpem Socordiam diſciplinam omnem uinculis ſuis ſolueret. Collegis ſuis amore & dexteritate Spectatus fuit: In negotiis gerendis quid illo laborioſius? quid magis ſolicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? In Conuerſatione ut paucorum hominum & mentis bene ſanae erat, ita amicitiae ſanctum ſemper nomen habuit. Pietate uera DEVM complexus, hac quoque parte bonorum ſe morum Doctorem oſtendit. Cum enim uirtutum omnium familiam ducat Pietas, Philoſophi moralis nomine dignus non erit, qui ſuas illam ſibi res habere iuſſerit. Suauiſſimum illi cum Coniuge uitae conſortium fuit. Anno enim LXXVIII. Kalendis Octobribus domum duxit Nobiliſſimam uariisque uirtutibus ornatiſſimam Virginem, ANNAM, Nobiliſſimi, Amplisſimique Viri DN. CASPARIS a DEGINCK Senatoris quondam Lubecenſis, optime meriti, filiam, cum eodem die ſummis in Theologia honoribus ornatus eſſet. Illa nunc a decennalis thalami gaudiis in grauiſſimum luctum conjecta tam cari capitis iacturam acerbe deplorat. Cui diuini Spiritus gratia adſiſtat, quae afflictam excitet, & dolorem omnem abſtergat. Leuamento illi ſummo in hac aegritudine erit, quod non Academia tantum in partem luctus

ctus ueniat, sed & ipse Serenissimus Musarum nostrarum Stator, Princeps clementissimus, Pro Rectori Academiae Legati uices demandarit, ut sua quoque per illum praesentia exequias cohonestaret. Vt ad uitae eius catastrophen ueniamus, Valetudine usus est non satis firma. Caesarium enim corpus arthriticis subiectum doloribus illi a Patre quasi traditum fuit. Vicibus quidem illi suis redierunt; sed nullae ab illis metuebantur insidiae, quae iugulum peterent. Elapsa aestate peius habere cepit. Nam pene cum continua diarrhoea ipsi conflictandum fuit, quae uiscerum debilitatem arguebat. Hac sedata postea dolores intestinorum recruduerunt, qui illum uelut equuleo torquere uidebantur. Creuit interdum ab ipsis induciis uis morbi, interdum ille remittere nouasque ostendere spes cepit, quas falsas fuisse tristior postea docuit euentus: cum latentis in uisceribus ulceris suspicio accederet. Mira illi in his tormentis animi constantia, illisque superior mens diuino ardore plena in Saluatoris sui amplexus ruebat. Quare nil attentissima solicitudine, nihil remediis etiam optimis actum fuit. Nam ultimo Decembris die, sub uesperam, adeo ingrauescere cepit morbus, ut placidissima morte, integroque sensuum uigore, animam Deo reddiderit. Nos eius exuuiis hodie funus paramus. Ideoque rogatos uos uolu-

uolumus, ut extremam Praeceptori ueſtro officium, ea qua pareſt, frequentia perſoluatis. Ipſa illa, quam ὁ μακαρίτης noſter profeſſus eſt, bonorum morum doctrina hanc a nobis pietatem atque humanitatem efflagitat. Magno praeterea & Viduae moeſtisſimae & affinibus ſolatio erit, ſi in partem quoque luctus uos uenire, ueſtraque exequias praeſentia cohoneſtari intellexerint. Valete. P.P. d.xx. Ian. An. cIↃ IↃc LXXXIX.

SCRIPTA:

Diſputationes tres de primo complexo totius cognitionis humane principio.

Theſes ex uniuerſa Philoſophia deprompptae. Reliqua ſcripta in Programmate ſunt recenſita.

XIX.

XIX.

PROGRAMMA
IN FVNERE
ANDREAE SENERTI,
Lingu. Orient. in Academia Vitemb.
Profeſſ. Publ. celeberrimi Feria II. ſacri
anniuerſarii Natalis Chriſti A. R. G.
cɔ. Iɔ c XXCIX.
P. P.
a
RECTORE ACADEMIAE VITEMBERGENSIS.

OMnes quotquot ita uiuunt, ut ſemper aliquid uita dignum agant; & ſenes facti, nondum ſenectute languent, neque mentis aciem hebeſcere patiuntur; his longius uitae ſpatium iure optandum eſt, propterea quod ceteris auctoritate praeſtant, nec magis aetate quam ſapientia iuniores antecedunt. Qui fructus ſenectutis maximus eſt, quod grandes natu homines caute agunt, rerumque uſu ualent, & moderatis optimisque conſiliis utuntur. Facile ut appareat, non eſſe reprehenſioni ſenectutis locum, etſi quidam de hac aetate ſecus exiſtimarunt, quos nihil moramur, uelut iuuenili impetu actos. Contra ſenilis prudentia omnium ore celebratur & conſtat, monimentisque prodita, animos mouet, & ante oculos poſita,

posita, claris apertisque signis demonstrat senem sanctissimum, ANDREAM SENERTVM, DANIELIS, qui uitae quidem, sed gloriae finem non habuit, filium natu maiorem. Quare tanto Patri, quem sua uirtus defendit, honores nunc quaerendi non sunt, nec filii, qui ab eo prognatus est, initia longius peti debent. Sed genere tamen nobilissimo ortum accepimus, quod ex Silesia in Saxoniam usque deductum & propagatum est, ut uirtute & industria crescceret magis & noscceretur. Auspicia eius Vitemberga sibi uindicat, ubi & natus, & institutus, ab Anno inde ∞ Ɔc VI. quo ibi genitus est, perliberali & optima conditione uixit. Pater eius DANIEL, qui summum genti suae splendorem ac lumen attulit, materque nobilissima MARGARETHA SCHATONIA, matrona animi sanctimonia singulari, nihil prius sibi faciendum putarunt, quam ut Andream ab ineunte aetate excolerent, diligenterque curarent. Nihil ex eo tempore praetermiserunt, ad augendam eius pietatem, atque doctrinam, in quibus maxima ad bene uiuendum momenta insunt. Literas humaniores quam potuit maxime in deliciis habuit, neque intermisit sapientiae studia, quibus totum fere quinquennium consumsit, auctoribus & Adiutoribus uiris grauissimis, Iacobo Martini, Ioanne Scharffio, & Erasmo Schmidio, qui cum eius incremento & commodo, laudem

laudem quoque ſuam eſſe coniunctam putarunt. Decimo aetatis anno ad linguas orientis adiecit animum, & duce ac interprete Martino Troſtio, nauiter profecit, ut nemo eſſet, qui non coniiceret, ex diſcipulo hoc aliquando Magiſtrum fore. Non defuit omnis fides, & poſtquam Lipſia, quam adierat, reuerſus eſt, praemia artium liberalium rite in hac Academia impetrauit. Sub id tempus ſapientiae ſtudia moderatus eſt Laurentius Fabricius, qui Andream ſummo iuuit conſilio, & ornauit honoribus, quos merenti Candidato decerni par erat. In religionis diſciplina haud remiſſior, Doctores Theologos Paullum Roeberum, Guilielmum Leiſerum, Ioannem Hulſemannum, conſtanti diligentia ſibi deuinxit, effecitque his rebus, ut certatim ſe amarent, quaſique complexu tenerent. Non hic ſubſtitit, (neque enim fructus eſt ardor) ſed longius proceſſit, & Lipſiam Ienamque pariter ac Argentoratum induſtriae ſuae teſtes eſſe uoluit, & accesſione facta, augere ſtuduit partas laudes. Poſtea in foederatum Belgium ſe contulit, & uiros maximos Voſſium, Heinſium, Cunaeum ſibi coniunxit. Riuetum quoque & Ameſium Gomarumque allocutus eſt, ut quae in libris eorum legerat, ex ore ipſorum percipere penitus poſſet. Hinc Anno ∞ Ↄ c XXXVI. Vitembergam reuerſus, unus ex omnibus maxime aptus uiſus eſt, qui mu-

neri Academico imponeretur. Quam obrem in Velleri abeuntis locum ſubrogatus eſt, quam prouinciam ſumma cum laude cepit ac tenuit, linguarumque orientis, quas docendas ſuſceperat, interpres idem & conſeruator fuit. In uita nihil expetebat, niſi quod rectum iuſtumque erat, Socratem imitatus, qui nihil praeter & contra leges facere ſolebat. Animum eius res ſecundae aduerſaeque ita firmarunt, ut utrique fortunae par eſſet. Bis connubio fidem adſtrinxit, ducta An. ∞ Ɔc XXXIX. MARIA FRANCIA, Cos. Deliciani filia, ex qua ſuſcepit IOANNEM ANDREAM, ingenii & moris elegantiſſimi filium, doctrina item & diuturna peregrinatione cultiſſimum, nunc celſiſſimo Principi Oettingenii a ſecretis; & MARIAM DOROTHEAM celeberrimo Archiatro DANIELI MAIORI collocatam, quae aliquanto poſt rebus humanis erepta eſt, cuius quatuor ſorores diu ante deceſſerunt. Coniuge mortua anno deinde ∞ Ɔc LXII. deſpondendam ſibi curauit DOROTHEAM NOTTNAGELIAM Virginem, cum in manum eius conueniret florentiſſimam, nunc praeſidio amiſſo, moeſtiſſimam uiduam, omnino nobiliſſimam matronam, Andreae, coniunctiſſimi antea mariti funus proſequentem. Ex qua ei natae ſunt duae filiae, IOANNA DOROTHEA, & IOANNA SOPHIA, quae praeter expectationem patris, uitam cum morte com-

commutarunt. Sed uero Andreas non tam morbo quam aetate fractus, caduca omisit & diuina cogitauit, melioremque uitam expetens, miseram mortalemque conditionem finiit, postquam diuiniori epulo refectus & formula sacra expiatus, cum DEO in gratiam rediit, atque in aeterni gaudii quietisque possessionem uenit. Vos ciues quaeso, uti ad cohonestandum optimi sanctissimique senis & celeberrimi pariter doctoris uestri funus frequentes prodeatis, qui cum honore aetatis hic praecipuus extitit, tum nobilissimis quoque necessitudinibus coniunctus, meritorum fama praeter ceteros eluxit. Funus ab hora I. pomeridiana ex aedibus quas uiuus incoluit, deducetur. P.P. Fer. II. sacri anniuersarii Natalis Christi ∞ Io C XXCIX.

SCRIPTA:

Prouerbiorum Arabicorum Centuria, iuxta Interpretationem Latinam.
Linguarum Orientalium Canones centum.
Dissertatio de Ebreae S.S. linguae, nec non Orientalium reliquarum ex parte, origine, antiquitate, progressione, incremento, fortuna uaria & cultu.
De diuino nomine Elohim Diatriba.
Sciagraphia de Accentibus Ebraeorum, quot in SS. Bibliis habentur.
Ebraismus.
Chaldaismus & Syriasmus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [391] - 371

Arabismus.
Rabbinismus.
Athenae & Inſcriptiones Vitembergenſes.
Diſſertatio de quatuor Linguae Ebreae Aetatibus.
Hypotypoſis Harmonica Linguarum Orientalium, Chaldeae, Syrae, Arabiaeque.
Hypomnemata de rerum naturalium Principiis, occultis qualitatibus & Generatione,
Bibliothecae Academiae Vitembergeſis libri praeſtantiores.
Grammatica Orientalis.
Beatus homo, ſiue Pſalmus I. Dauidis notis illuſtratus.
Pſalm. VII. & VIII. Expoſitio.
Scrutinium Religionum, de Religionum Varietate & Vna ſola Chriſtiana & uera.
De Principio Religionis in genere & Chriſtianae in ſpecie.
Tabulae in Grammaticam Ebraeam.
Manualis Concordant. Prodromus.
Pſalmi graduum XV.
Symbolum Apoſtolicum notis illuſtratum.
Chriſtianus non Chriſtianus.
Canticum Canticorum notis illuſtratum.
Nouiſſimorum nouiſſima in I. Corinth. XV. 24. 28.
Exercitationum maxime Theologicarum faſciculus maxime circa Religionis Chriſtianae Principium, ueritatem & ſummam.

Trias

Trias Exercitationum de Theologia, Anthropologia & Chriſtologia.
Exercitat. Theolog. de Articulis fidei fundamentalibus.
Exercitationum Philologicarum pars I. & II.
Aphorismi C. ſuccincti, quibus Lingua Ebraea compendio breuiſſimo traditur.
Introductio breuis ad Linguae Arabicae rectam lectionem.
Martini Troſtii Grammatica Ebraea recognita & locupletata.
Triga Exercitationum Philologicarum de Prot-Euangelio Geneſ. III, 15. de orco ex Pſalmo XL. 8. de Pſalmo CXVII. notis illuſtrato.
Ανάς quaeſtionum de Myſterio S.S. Trinitatis, de Mediationis opere inter hominem & Deum.
Ioannis Apoſtoli Epiſtola ſyriace ſcripta cum uerſione latina.
Epitome Theologiae naturalis.
Notae & Exercitationes in Pſalmos Poenitentiales.
Paſtor bonus.
Speculum uitae aeternae, uernaculo ſermone ſcriptum.
Diſputationes ſigillatim emiſſae ut de Punctorum uocalium Ebraicarum neque cum literis neque cum uerbo Dei coaeuitate.
De Vrim & Thumim.
De כסנים ſiue dictis Ebraeorum, ex Pſalmo XCIX, 6.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [393] - 37

Biga Exercitationum de formali S. Scripturae intento.
De mendis Codicum Apographorum.
De notitiis naturalibus praesertim connatis, & an & quae ac quantae illae sint in religionis negotio, siue spiritualibus.
De Conscientia eiusdemque constitutione, uarietate & casibus, quos sic uocant, in genere.
De nomine Dei Elohim.
De Germana Characterum Iudaicarum antiquitate.
De Coniugationum Ebraicarum significationibus.
De quadratae Characterum Ebraicarum figurae antiquitate.
De Gigantibus.
De Voto Iephtae ex Iudic. XI, 30. seqq.
De Geneseos Cap. IV, 1. seqq.
De Vr Chaldaeorum ex Genes. XV. 7.
De Morte Mosis & sepultura eius ex Deut. XXXIV, 5. seqq. ex Cantic. Cantic. III, 1. seqq. Ex Esaiae VII, XIV.
De Inuestigatione Radicis apud Ebraeos.
De Literis Ebraeorum Samaritanis.
De iis quae fuerunt in arca foederis, ex I. Reg. VIII, 9. & II. Paral. V, 10. collatis cum Hebr. IX, 4.
De Semine Messiae ex Ierem. LIII, 10.
Ad loca Psalm LVIII. Ad Psal. XXII. Ad XI. XII. XIII. XIV. XV. & XVI.

XX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [394] - 374

XX.

MEMORIA IOANNIS FRIDERICI VVALTHERI,

Linguarum Graecae, atque Orientalium in Illust. Collegio CHRISTIAN-ERNESTINO, quod Baruthi Francorum floret, Profess. Publici, XIII. Kalend. Iulii Anno ∞ Io c LXXIX. pie defuncti, renouata ex Curriculo uitae Germanico, Concioni funebri subiuncto.

CVria, princeps urbium Variſciae, ortus IOANNIS FRIDERICI VVALTHERI, gloriam ſibi uindicat, ubi inter uota & gaudia ſuorum Anno ∞ Io c LXII. Patre IOANNE VVALTHERO, Sanctae Theologiae Licentiato, rerum ſacrarum Antiſtite ac Paſtore Primario, nec non Gymnaſii Inſpectore & Theologiae Profeſſore, ſuſceptus eſt ex VRSVLA MAGDALENA, nata Kuffneria, matrona omnes ſexus elegantioris uirtutes complexa. Ab his quam primum intellexerunt, filium acri capacique eſſe ingenio, traditus eſt curae fideique praeceptorum quorundam domeſticorum. Succeſſu autem temporis cum non minori diligentia quam celeritate ad laudis metam contenderet, fidei Praeceptorum Gymnaſii patrii creditus, induſtriam ſuam Doctoribus probauit, quod nullum labori modum ſtatuebat, & ſingulari diligentia ſodalibus quaſi facem praeferebat

rebat. Quo ipso tantos in literarum studiis fecit progressus, ut anno iam aetatis sexto & decimo carmen latinum proprio Marte conscriptum, pro concione recitaret, aliaque ederet specimina, ex quibus Oratio de peregrinationis bene collocatae usu & fructu, quam Anno ∞ Ↄc LXXVI. Eidibus Aprilis in conspectu Patrum habuit, formis deinde fuit expressa. Patre posthaec orbatus, ex sententia matris ac necessariorum, habita prius in Gymnasio Curiensi Oratione ualedictoria de *Laude Megalandri Lutheri*, Baruthum abiit, ibidemque in tabulas illustris quod ibidem ex celso Christiani - Ernesti nomine eminet, Collegii, relatus, Professoribus indolis bonitatem approbauit, qui nullam eius erudiendi occasionem praetermiserunt. Praeceteris uero totum permisit se IO. CHRISTOPHORO LAURO, Graecae & Ebraicae Linguae tunc temporis Professori Publ. qui conatus eius mirifice adiuuit, eumque & contubernio & conuictu suo excepit. Cumque incredibili arderet linguas orientales addiscendi desiderio, Viri huius ductu tantos in hoc studiorum genere fecit progressus, ut posthaec in Academiis fundamento hoc feliciter iacto, ingentem structuram facili negotio imponere posset. Sic insigni eruditione locupletatus, Baruthum sub finem Anni ∞ Ↄc LXXX. reliquit, habita prius Dissertatione historica de *Inquisitione Hispanica*,

Spanica, quam Praeſide IO. GEORGIO LAYRIZIO, tunc temporis Hiſtoriarum Profeſſore ibidem, hodie Sereniſſ. Duci Saxo-Vinarienſ. a Sacris, totiusque Ducatus Superintendenti-Generali optime merito, eruditorum examini ſubmiſit. Anno qui ſequebatur, in celeberrimam Salanam abiit, cumque Sacrarum literarum ſtudia matris ac neceſſariorum conſenſu excolere decreuiſſet, celebratiſſimi Doctoris Theologi FRIDEMANNI BECHMANNI aedes conuictumque elegit, quo tanti Viri conſiliis adiutus, eo felicius metam ſtudiorum conſequeretur. Cumque non ignoraret, uiam quaſi ad ſanctum hoc ſtudium Philoſophiam aperire; hinc celeberrimos ordinis Philoſophi Profeſſores atque Adiunctos, Posnerum, Sagittarium, Velthemium, VVeigelium, Schubartum, Schmidium, Heinſium, ac prae ceteris Philologos Germaniae ſummos, Friſchmuthium ac Danzium audiuit, eorumque Scholis innutritus in linguarum ac ſapientiae ſtudiis in ſolidos dies maiora cepit incrementa. Atque ſic haud uulgari eruditione inſtructus, in publicum prodiit, ac Praeſidio IO. ANDREAE DANZII, tunc temporis Ordinis Philoſophi Adiuncti, hodie uero Lingu. Orient. Profeſſoris Publici famigeratiſſimi firmatus, Diſſertationem, quae ſecunda erat Exercitationis Rabbinico-Talmudicae de Sacris Iudaeorum νομοφυλακίοις bis quotidie recitari

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [397] - 377

ri solitis, publice cum applausu auditorum defendit. Tantorum Doctorum institutione diutius frui exoptasset, nisi febris maligna Anno ∞ Io c LXXXII. ipsum inuasisset, Medicique auctores fuissent, ut ualetudini suae consuleret, seque alio conferret. Hinc Lipsiam abiit, ibique a Theologo celeberrimo D. GEORGIO LEHMANNO Superintende ac Theologiae Professore ibidem singulariter merito, amico B. Patris sui L. Ioannis VValtheri certissimo, beneuole & contubernio & conuictu exceptus est, qui B. multum profuit, ipsumque Paterno prorsus amore fuit complexus. Praeter hunc quoque ad moderandas studiorum rationes delegit Theologos ac Philosophos ibidem excellentissimos, Scherzerum, Moeblum, Carpzouium, Olearium, Alberti, Rechenbergium, Thomasium, Fellerum, ceterosque ibidem uiros ad docendum expeditissimos meritissimosque. Ne uero Linguarum studium cui se pridem consecrauerat, negligeret, totum se tradidit D. AVGVSTO PFEIFFERO, Theologo pariter ac Philologo exquisitissimo, eidemque cum publice tum priuatim industriam approbauit, cuius etiam ductu in arenam descendit, ac de *Diuisione Potentiae DEI in ordinatam & absolutam* disseruit. Cum hoc ageret, atque in uaria eruditione insigniter proficeret, existimator ingeniorum IO. CHRISTOPHORVS LICHT-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [398] - 378

LICHTNERVS, Praeſes & Iudex ſtudiorum delectus, VVALTHERVM ad ſummos in Philoſophia honores inuitabat. Cuius ſententiae noſter nec repugnare, nec tamen inſoleſcere uolebat; ſed honores ſibi oblatos pridie Calend. Februarii Anno LXXXIV. modeſte accipiebat, atque inter triginta & octo Candidatos ſeptimum locum eruditione ſua tuebatur. His cum ratione confectis, diligentia B. non obſcura fuit, ſed in publicum prodiit, dum Praeſes ipſe ſtetit, nouosque honores uix quarta anni parte praeterlapſa, Diſſertatione philoſophica, *de Contingentia eiusque uſu & abuſu*, defendit. Vt uero gloria uirtutis comes eſt, ita honor etiam VValtherum ubique ſequebatur. Namque de eruditione ſua fama in patriam perlata eſt, Serenisſimoque Marggrafio Brandenburgico CHRISTIANO ERNESTO, Patriae Patri optimo ſic explorata eſt, ut cum Lauerus uacuefacto Antiſtitis Culmbacenſis muneri imponeretur, VValtherum dignum exiſtimaret, cui Profeſſio Ebraicae & Graecae Linguae in Illuſtri Collegio Chriſtian-Erneſtino crederetur. Sic itaque Lipſia accitus, Baruthum rediit, ac munus ad ſe delatum Oratione ſolemni Kalend. Octobr. Anno ∞ IↃ CLXXXV. auſpicatus eſt. Ex eo tempore id praecipue laborauit, ut iuuentutis fidei ſuae commiſſae utilitatem omni ex parte promoueret. Quod ipſum felicis-

felicisſime effectui dedit, ſiquidem qui Scholis ipſius intererant ſolidam eius informationem laudant, Doctorique ſuo etiam poſt fata gratias agunt. Praeclarum induſtriae ſuae teſtimonium eſt, quod poſt beatum IO. CASP. OERTELII obitum, linguam Syriacam ac Chaldaicam ſimul docendi prouincia a Serenisſimo Collegii ſtatore ei clementisſime fuerit demandata. Cum uero non ignoraret multum adiumenti ad uitam eſſe in matrimonio, hinc deſpondendam ſibi curauit EVAM CATHARINAM, ANDREAE MOESCHII, Hereditarii in Groetenbruck, VVolffsloe, Kozenhammer &c. Sereniſſ. Princip. Barutho-Brandenburgici: a Conſiliis Camerae, Praefectique quaeſturae Monachomontanae & Hallerſteinenſis, filiam natu minimam, quam XXV. Sept. Anno LXXXVIII. ſolemniter domum duxit. Sed ut humanae res ſe habent, nunquam magis dubiae ſunt, quam cum proſperae uidentur. Vix matrimonium contraxerat, cum aduerſa ualetudine ſubinde uti cepit, ac perpetuo catharris ac dolore dentium fuit uexatus. Sed ut iuuentus plerumque naturae uiribus nimium confidere ſolet; ita B. quoque quoad eius fieri potuit a Medicamentis abſtinuit, donec tandem malo naturae uis ſuccubuit atque ipſe tabe inuaderetur. Aderat hinc tempeſtiue D. Godofredus Steinius, Archiater Brandenburg. atque urbis Baruthinae

thinae Physicus Ordinarius & remediis ad medicinam necessariis contra nitebatur, refecturus illud quod tabes absumserat robur. Maxime uero auctor erat, ut aëris regionem mutaret atque alio se conferret. Hinc primo ad Socerum Stockenrotham, posthaec uero Curiam ad dulcissimam matrem sese contulit, ubi accitus est Io. Christophorus Brebisius, Medic. Licent, qui morbo pellendo intentus, remedia idonea & prompta attulit simul & exhibuit, sed mox uim morbi uehementiorem esse sensit, quam ut malum, quod iam dum radices egerat, extingui posset. In hoc ipso morbo de literarum studiis cogitabat ac Patriae Patri Seren. de natali gratulaturus, Dissertationem de Apophtegmatibus seu praeclare dictis Serenissimorum Principum Brandenburgensium, conscribebat. Sed mors ipsi iniecit manum, atque ab incepto retinuit uel inuitum. Cum uero uires decrescerent, nihil recusauit aegrotus, quod uellet statueretque rerum humanarum arbiter. Vt enim uiuus honorem cultumque Dei rebus omnibus praetulit, ita moriens quoque singulari pietate & patientia eidem se permisit, & caduca haec atque inania firmo fidentique animo despexit. Sic uero conclamatis rebus seculi, de animae curatione cogitabat, ac M. Ioannem Schmausium ad se accersiri iussit, qui mox adfuit, ipsumque noxas deprecatum

oraculis


oraculis coeleſtibus confirmauit, ac ſacro epulo refecit, quo facto, quarto die poſt, XIX. nimirum Iunii Anno ∞ Io c XC. hora ſeptima ueſpertina, quicquid mortale habuit, depoſuit, animamque uinculis aegri corporis ſolutam, cum XXVII. Annos XV. hebd. & II. dies uixiſſet, DEO reddidit, quae commutato habitationis ſuae loco, nunc ſempiterna luce colluſtratur.

SCRIPTA:

Quia in Curriculo uitae ſunt expoſita, hic ſilentio praetermittuntur.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 148, [402] - 382



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [403] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [404] - -

GWLB Hannover
036 828 858
35

XLII L
2184.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [405] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [406] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 148, [407] - -